This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

613.
2
3
R

643. 2/13
Seth

SIMEONIS SETHI MAGISTRI ANTIOCHIAE SYNTAGMA

PER ELEMENTORVM ORDINEM, DE ALIMentorum facultate ad Michaelem Ducam Imperatorem à Lilio Gregorio Giraldo Ferrarienſe olim latinitate donatum:

De la Librería del Colegio Imperial de la Comp.ª de Jesus de Madrid

NVNC VERO PER DOMINICVM *Montheſaurum Veronenſem correctum & penè reformatum.*

COLEGIO DE S.N CARLOS BIBLIOTECA

BASILEAE
Apud Petrum Pernam,
M. D. LXI.



AMPLISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINcipi D. D. Spitikoni Iordan de Zaklirzin, & Melstin hæredi, Palatino Sendomirienſi, Regni Poloniæ Senatori, Premislienſi & Camonacenſi Capitaneo &cet. Dominicus Montheſaurus Veronenſis. S.

CVM pro tuenda tua ualetudine excellentiſsime Princeps, ego & Petrus Sonzonus & Ludouicus Laziſius ad uidendam tuã celſitudinem accederemus, & interdũ tempore concedente nõ ſolũm de re militari, cuius omniũ es peritiſsimus, ſed de diuerſis naturæ rebus uerba faceremus, multa pro tua ſeruanda ſanitate in medium adduximus de alimentorum facultatibus & pro tẽpore (ut ut fieri potuit) tuę morem geſsimus uoluntati. Iam

uerò, ut omnia diligentius consideren-
tur, Simeonem Sethi Antioche-
nũ ad tuam amplitudinẽ mittendũ
curaui, ex eius nãq; lectione (quod
tuum est in rebus omnibus inge-
niũ) cuncta ferè, quæ ad alimento-
rum facultatem pertinent, non mo
do intelligi, sed & memoriæ man-
dari posse magnopere confido.
Quod ut facilius etiam fieri posset,
diligentiore studio ac cura eiusdẽ
Simeonis librum partim adauxi,
partim correxi, qui quidem si tuæ
celsitudini (ut spero) cui uni quàm
maximę debeo, aliqua ex parte pla
cuerit, ad maiora deinceps no-
mini tuo consecranda a-
lacriore animo con
tendam.

SIMEO-

SIMEONIS SETHI

MAGISTRI ANTIOCHIAE

Syntagma per elementorum ordinem, de Alimentorum facultate ad Michaelem Ducam Imperatorem à Lilio Gregorio Giraldo Ferrarienſe olim latinitate donatum: Nunc verò per Dominicum Montheſaurum Veronenſem correctum & penè reformatum.

VM multi, & quidem peritiſsimi, ô Maxime menteque Illuſtriſsime Imperator, non ſolùm Græcorum, ſed & Perſarum, & Saracenorum Indorumq; de Alimentorum facultate conſcripſerint, ac in quibusdam conſona ſcribere videantur, in quibusdam autem minimè, de cunctis optima & vera magis ſcrutari opus eſſe cogitaui, tuęq; diuinę Imperatorię poteſtati offerre: vti, cum ſingulorum alimentorum facultates, proprietatemq; noueris, his maxima cum ratione vti queas, tuamq; ſimul valetudinem & tueri, & conſerua-

re. Hac enim ritè conſeruata, quicquid tibi ſubditum eſt, pariter conualeſcet. Neq; enim terrarum orbi aliud eſt melius vtiliusq;, quàm optimum Imperatorem & bene valere, eundemq; vita diutius perfrui. Quoniam verò alimentorũ, quædam aliter quidem cõmunis hominum vſus nuncupat, aliter verò antiquorum medicorũ conſuetudo, nos cõmunioribus notioribusq; vocabulis vtemur: quæq; itidem magis in vſu ſunt condimenta, aromata, & reliqua notiora odoramenta, perſequemur.

Ἀρνίον, Agnus. 1.

AGnorum carnes, modicè calidæ ſunt, excrementitiamq; humiditatem habent: & propterea eos lædunt, qui humidiorem temperaturam obtinent, eos verò qui ſiccioremiuuãt. Quantóque iunior agnus fuerit, tanto facilius eius caro concoquitur: quanto verò maior, tanto deterius concoquitur, & eo minus eſt humida. Sic & in ceteris animalibus contingit, quo iuniora ſunt, eo humidior quàm maiorũ eſt eorum caro.

Ἀμύγδαλα

Ἀμύγδαλα, Amygdala. II.

AMygdalæ modicè calidæ ſunt, & ſatis nutriunt, facultateq; attenuãte & incidente præditæ ſunt: quo fit, vt pectus & viſcera expurgent, cum difficultate tamen concoquuntur. Amaræ verò quàm dulces calidiores ſunt tenuioresq; partes habent, & magis attenuant. Ob partium enim tenuitatem quæ in iecore & liene ſunt obſtructiones, aperiunt, calculosq; renum & veſicæ frangunt. Dicitur quoque ſi quis ieiunus amygdalis vtatur, eas ebrietatem eius diei auertere. Amygdalinúmque vtique oleum modicè & temperatè & ipſum calidum eſt, iecorisq; obſtructiones aperit & auertit: Pulmoni etiam & pectori vtile eſt. Quod verò de amygdalis amaris exprimitur, aperit magis, quàm ex dulcib. magisq; vrinam prouocat: omnesq; calculos renũ ſcilicet & veſicæ frangit, atque menſes educit.

ANNOTATIO.

Veteres Græci medici oleo amygdalarum dulcium non vtebantur.

Ἀπίαι, Pyra. III.

PYra frigida ſunt in prima diſtantia ſicca verò ſecunda. Quæ verò dulciora & matura ſunt, nonnullius caliditatis & humiditatis participãt. Quæ autẽ compoſita, ſiue ex dulci & adſtringẽti qualitate conſtant, ſiue acida (quoniã eiuſmodi quædã ſunt) ſunt alicuius moderatę caliditatis ſed modicę & ſiccitatis, idcircoq; ventrem ſiſtũt ante cibũ ſumpta: hócque maximè præſtant, quæ ex illis adſtringentia ſunt. Si verò crebrius vſurpentur, & ad ſatietatem, colicos affectus ſuſcitant, ſed ventriculos calidos iuuant. Grana autem quæ in illis reperiuntur peculiari quadam proprietate pulmonis affectiones iuuant, ſed renes lædunt.

Ἀγγύρια, Cucumeres. IIII.

CVcumeres, Græcè σίκυα vocati, ſecundum autem communem ſermonem Tetranguria, ſecunda diſtantia frigidi ſunt & humidi. Nam frigidæ

gidæ & humidæ temperaturę ſunt noxij, qui & mali ſucci & nutrimenti. Ex his verò potius quàm magnos, paruos eligere oportet. Hi mouere vrinam apti ſunt, & in acutis præcipuè febribus aceto madefacti, ſi ſumantur, mitiorem reddunt calorem. Crebrior autem horum vſus, ſemen genitale minuit, Veneris q; impetum frænat. Semen verò horum deſiccatum, caliditatem quandam ſibi comparat, contrariaq; his operatur, lotiumq; magis prouocat.

ANNOTATIO.

Cucumeres magnos Saraceni Citrullos vocant; nam magnos paruosq; cucumeres σίκυα ὥμα id eſt, cucumeres crudos Hippocrates & Actuarius nuncupant: eo quia cucumeres crudi guſtui eſuiq; grati ſunt, maturi verò minimè.

Αμανῖται, Fungi. V.

FVngi frigidi ſunt & humidi ſecunda diſtantia, humoremq; frigidum & glutinoſum gignunt, ægreq; concoquuntur. Quidam verò ex his venenati ſunt, & cynanchas ſynanchásque

ſine temporis intermiſsione, ſua quadam proprietate faciunt. Propterea eos eſſe oportet condîtos accerimis aromatibus, hiſq; vnà coquere pyra. Di ligẽter enim obſeruatum eſt, pyra cum fungis ſimul cocta, eorum omnem malignitatem depellere abigereq;. Verùm per hyemem potius quàm per æſtatem eiſdem vtendum eſt: quoniam ventriculi eo tempore calidiores ſunt, & ſomni longiores. Quum verò probè non concoquuntur, in iecur & lienem obſtructiones pariunt. Si quis verò caſu aliquo venenata aſſumpſerit, quàm primum melicratum cum aqua tepidum, & parum nitri potet, & ſanabitur.

ANNOTATIO.

Cynanchæ & Synanchæ, ſunt Anginæ ſpecies, de quibus omnes medici pertractant.

Αἶρα, Lolium. VI.

LOlium calidum eſt & ſiccum, proximum tertiæ diſtantiæ. Vim verò habet iridi propè æqualem.

Ἄμυλον

Αμυλον, Amylon. VII.

AMylon ex tritico fit puro in aqua ſub ardoribus caniculariibus macerato, aqua quinquies in die mutata. Cum autem mollius redditum fuerit aqua effuſa, ſecernere furfur oportet, & quàm celerrimè id in Sole exiccare, ne aceſcat. Vim habet frigefaciendi, & modicè exiccandi, & ſimul acredines mitigandi. Habet & vim emplaſticam atque ideo bonum eſt dyſentericis medicamentum.

Ανηθον, Anethum. VIII.

ANethum calidum eſt & ſiccum ſecunda diſtantia, inflationes ex craſsis humoribus ortas iuuat. Quidam autem hoc bonum ſtomacho alij minimè eſſe dixerunt. Et illi quidem calidam eius & concoctricem humiditatum vimque diſcuſſoriam flatuum, qui in ventriculo ſunt, ſpectant: Hi verò ad ſubſtantiam eius reſpiciunt, quæ craſſa quidem eſt, difficilis q; concoctu, & nauſeoſa. Oleo excoctum, diſcuſſorium eſt & ſomnificum, & crudos

humores ſi inungatur, digerit: inflationes quoq; quæ in ventriculo fiunt, diſcutit, & laborantia corpora ex immodico labore, curat, ſed renes, vt quidam aiunt, lædit.

Ἄνισον, Aniſum. IX.

ANiſum calidum eſt & ſiccum in tertia diſtantia, prodeſt vetuſtis & antiquis ex frigore hepaticis affectibus, & ſpirationis etiam difficultatem, quæ à pituita proficiſcitur, iuuat: nec minus flatus, qui in ventriculo fiunt, diſcutit, ſufficienterque aperit: ventrem verò ſiſtit, & lactis copiam profert.

Ἀσπάραγος, Aſparagus. X.

HAEC ſpecies oleris non fuit hîc antea cognita, ſed hi tantùm qui dicuntur Eleodaphni, amari Aſparagi. Nunc verò ſub vernum tempus ad nos apportatur, & à pleriſq; dignoſcitur. Eſt autem olerum omnium aſparagus maximè nutriens: ita vt ſi quis dicat eius ſubſtantiæ naturam poſitam eſſe mediam inter olera & carnes,

non

non multum à verò deuius ſit, quod eius nutrimentum inter olera & carnes eodem ferè modo ſe habeat. Vrinam prouocat, & eas quæ in iecinore, & renibus fiunt obſtructiones, aperit. Et hoc manifeſtum quòd vrinam in ſuum odorem tranſmutet, & eius odoris eſſe ſentiatur, poſtquàm ex eo aliquantum quis ederit: quemadmodum & laſerpitium. Neq; quiſpiam admiretur, illum vrinæ ſuam ſtatim qualitatem indere. Nam & Chenea rubra, quæ eſt, ſi manibus contineatur, lotium in ſuum odorem tranſmutat: atq; hoc paradoxon videtur, vt exterius admotum lotium tingat. Sedenim hoc à propoſito ſcopo extranea ſunt: quapropter ad reliqua procedendum. Aſparagi quidem colicos dolores & renum iuuant, qui à pituita proficiſcuntur, & ad ſemen genitale adiiciunt, celeriusq; quàm cetera olera in ſanguinem tranſeunt, & mutãtur. Menſes quoque cient, cordisq; palpitationes ſedant, dentibúsque proſunt, ſed ſtomacho boni haud ſemper ſunt: propterea cum mediocriter cocti ſunt,

garo & oleo condiuntur & ſic ſumuntur.

ANNOTATIO.

Chenea rubra, de qua Paulus Aegineta & Michael Pſellus in ſuis Commentarijs loquitur. Chenea autem rubra eſt iunci odorati radix, quæ & ipſa manibus contenta, vrinam tingit.

Ασκοι, Gammari. XI.

GAmmari frigidi ſunt & humidi: nutriunt quidem, ſed ventrem cohibent, vixq; concoquuntur, præſertim magni, parui verò facilius, & eorum caudæ quàm chelæ, difficilius concoquuntur, & craſsioris ſucci ſunt: quare calidis condimentis condiantur, ſicq; apponantur, poſtquàm vinum vetus & giluum potetur.

Αλες, Sal. XII.

SAl calidus eſt ſecunda diſtantia, aridus verò tertia: qualitatis adſtringentis participat: pituitoſa qui ſunt temperatura, iuuat, proritat ventrem, arefacitque corpora, abſtergendi facul-

facultatem habet, & appetentiam excitat. Si quis iusto plus vtatur, exustionem sanguinis pariet, & oculorum hebetudinem. Semen genitale minuit, & pruritum affert: est intestinis visceribusq; noxius, confricatus verò dentibus humiditates, quæ intra eos sunt, absumit, & humiditates, quæ in ventriculo sunt, liquefacit. Ferunt confricatum pedibus, nocumentum tollere quod ex vini crapula contractum est. Præparantur quoque halatia diuersa, quæ sto macho conferunt, de quibus nunc non est differendi tempus.

ANNOTATIO.

Halatia quasi dicas ex sale confecta, de quibus Paulus & ceteri omnes Græci medici in Antidotarijs tractant.

Ἄμπαξ, XIII.

AMpar in diuersis locis scaturit, sūt enim eius fontis, vt picis, asphalti, & sulfuris, & rerum similium. Sed eius est laudatius giluū & pingue, quod

in vrbe quadam Indica Silache vocata, accipitur. Quod verò ſubalbidum eſt in quodam oppido litorali Felicis Arabiæ Sycheon nomine naſcitur. Quod autem deterius eſt, nigrum eſt, & ex piſcibus qui Amparis fontes guſtauerint, colligitur. Vim habet calefaciendi, & humores incidendi: & propterea ſtomachicis medicamentis à quibusdam additur. Cor enim & caput corroborat: & ſi quis à potu eius odorem olfecerit, ebrietatem accelerat: & ſi in vino ponatur, multo magis.

ANNOTATIO.

Nicolaus inter Amborem et Ambram differentiam facere videtur. De Ambore quum Georgius Agricola diffusè loquatur, ipſum videre poteris.

A elementi Finis.

Βάεων

Βόειον κρέας, Bubula caro. I.

BVbula caro multum nutrit, & qui ab ea gignitur ſanguis, moderato craſsior eſt. Propterea his qui temperamento ſunt melancholico, diuerſos & melãcholicos morbos infert. Difficulter etiã cõcoquitur & diſtribuitur, ſed ſi cõcoquatur, abũdè nutrit: & ſi etiam cũ ouilla carne cõparetur, frigida eſt, ſanguinemq; melancholicũ gignit. Verũtamen huius carnis ius ventris fluxus ex flaua bile compeſcit. Si quis verò eã comedere velit, expetatq; vel cogatur, eius læſionẽ, quæ futura timetur, ſic moderetur, cũ aceto, allijs & ruta intingat: ſolis hæc calidiores ventriculos habentibus confert, & his inſuper qui immoderatè vehementerq; exercentur.

Βούτυρον, Butyrum. II.

BVtyrum modicè & temperatè calidum eſt, & nutrit: pectus & pulmonem iuuat, ſputumq; efficit, vt ex his facilè educatur, & ad frigidas & aridas tuſſes confert: ſi verò abundè quis vtatur, ventrem lubricat. Quan-

toq; vetuſtius eſt, tanto eſt calidius: & quocunque oleo magis nutrit, faculta-temq;, quę & digerat & diſcutiat, habet præſertim in tenellis mollibusq; corporibus: & propterea parotidas & bubonas illitum ſanat, in pueriſq; dētitionis dolores ſedat. Verumtamen cum in ventriculo ſuperfluitat, nauſeam facit, & appetentiam tollit. Item in ventriculis calidioribus, in flauam bilem conuertitur.

Βερίκοκκα, Armeniaca. III.

BEricocca, facilè corrumpūtur: ſanguis, qui ex his gignitur, nō bonus eſt. Frigida enim ſunt & humida ſecunda diſtantia, melioriſq; ſucci ſunt q; rhodacina: ventrem tamen lubricāt, flauamq; bilem ſedant, ſi matura non ſint: ſi verò crebrius ſumantur, febriculoſa ſunt: quibus ſi quis vtatur, ante alios cibos edat. Nam ſi poſt alios ſumantur, ſupernatant, ſuáque corruptibili natura, reliqua ſecum cibaria corrumpunt.

Βαλσα-

βαλσαμέλαιον, Balſami oleum. IIII.

PAruum eſt huiuſmodi arbuſtum, duobus cubitis minus, propeq; Aegyptum naſcitur, in loco qui nunc ab Aegyptijs, Solis fõs cognominatur: ſed à priſcis Solis vrbs dicebatur. Cum res Aegypti bene ſe habebãt, per Autũni tẽpus arbuſtorum horũ partes inferiores ferro aperiebãtur, ſuccuſq; inde manabat omni oleo viſu ſimilis, quod ideo balſami oleũ nominatur. Succus hic aggregatus vaſculis excipiebaẽ: & id quidẽ quod ſupernatabat, albũ ac tenue erat, & ideo precioſius: quod verò medio loco ſubgiluũ et ſupernatãte omnino deterius: fece aũt ad mundãdas manus aliasq; nõnullas curationes aliqui vtebanẽ, cũ reliquis carerent. At verò nõnulli hac ratione probant, quod ferrũ eo inunctũ, igniq; admotũ incandeſcat, id quod & oleo caphuræ alijsq; dictis oleis accidit: alij quod in aquam datum minimè ſupernatet, ſed ſtatim fundum petat. Et verè hoc quidem: ſed enim quando hæc duo concurrunt, q;

videlicet ferrum candeat & in aqua facile subsidat, de eo statim arripe. Est enim legitimum & non factitium. Scire autem præterea oportet, quòd dum recens est & in proprio vigore super aquam enatat, ac tum ita probatur. Linteo in eo irrigato, ac postea sublato à linteo totum recedit, non colorem sed odoris dūtaxat, suauitatē illi relinquēs. Hoc igitur quod non est adulteratum ac factitium multis affectibus conuenit. Nam cum muliebri lacte sidetur his qui venenū sumpserunt, & lęsis dente serpentis, & præsertim scorpionum, subuenit, si eo ictus perūgatur. Ac per se quidem aiunt calculos frangere, & mulieribus, quæ concipere nequeunt, ad conceptionem facere suppositum vel potum. Plerique autem hoc, quoniā rarum est & iuuentu difficile, vuluę tantùm imponunt, & prodest, & arte quadam subtus fumigant. Confert ad sanguinis fluxum, ad comitiales, & ad aurium dolores ex frigore & ad alia.

ANNO-

ANNOTATIO.

Oleum balſami ſimplex eſt: ſuccus balſami, alia olea igni admota quæ ardent, ſunt oleum picis, & oleum penæ, & oleum ſulfuris & cetera eiuſmodi.

Βασιλικὰ τὰ ὠνιμα, Baſilica id eſt Ocima. V.

OCima, modicè calida ſunt: olfacta, caput & cor iuuãt. Si verò aqua irrigentur, humidiora fiũt, & ſomnium conciliant. Semen eorum, cardiacis affectibus ſuccurrit, & mœrores ex atra bile ortos ad hilaritates & lætitias conducit.

Βρῶμος, Auena. VI.

AVena frigefacit & adſtringit: ſum mè prodeſt iis, qui difficulter meiunt, quique morbo choleræ officiũtur magis. Aſsimilis quidem eſt ptiſſanæ quantum ad exhibitionem.

Βαλάνια, Glandes. VII.

GLandes, difficilis ſunt cõcoctionis, & valde nutriunt, ſed tardi ſunt tranſitus, crudosque humores gignunt: propterea eorum vſus deuitari præcipimus.

Βόγλοσσον, Bugloſſon. VIII.

BVgloſſon vrinam proritat,& ſitim ſedat:ad iecoris diſpoſitiones huius caules,ſi cocti vel crudi edantur,faciunt.A viatoribus ex eo conficitur zulapion,quod valde vtile eſt.

ANNOTATIO.

Ex Bugloſſo zulapij compoſitio in Actuarij & Nicolai Myrepſij Comment. legitur.

B elementi Finis.

Γέρανος, Grus. I.

GRuum carnes, calidæ ſunt, ſiccæ & fibroſæ,& ideo poſt duos dies quàm iugulatę fuerint,eas edere oportet,ſanguinem quidē gignunt moderato craſsiorem,magisq; melancholicum.Harum verò ius,vocē clarificat, & ſemini genitali adiicit. Sunt qui tradant, ſi horum medulla,& fel cum zambaceleo miſceatur,memorię lapſui prodeſſe.Sunt & qui harum etiam felle ad oculares diſpoſitiones vtantur. Sedenim & oleaginoſum illud, quod,cum coquuntur hæ, ſuperfluitat, ſi auri-

bus

bus inſtilletur, ſurditati mederi creditur. Tum & harum pinguedinem aceto ſcyllitico exceptam, in balneo ad lienis duritiem conferre. Hoc autem volucris genus, omnẽ terrarum orbem peragrat, nec diu in eadem regione permanet.

ANNOTATIO.

Zambaceleon, eſt oleum Iaſmeleon, ab Aetio, & Nicolao Myrepſio deſcriptum, quod à Saracenis Zãbacinum, ab Italis oleum Ieſminum vel oleum Gelſeminum dicitur. Nam Zambaca, Ielſema ſunt: quæ paſſim in hortis oriuntur.

γάλα, Lac. II.

LAc extribus ſubſtantijs conſtat: ex ea quæ ſeroſa eſt, quę tenuis eſt & abſtergit, vẽtremq; ſubducit, ſi quis ipſam per coctionẽ ſeparet ex caſeoſa, quæ craſſior eſt, & ventrem ſiſtit, & ex butyroſa. Lac ergo omne, quod plus ſeri continet, melius eſt: quod verò plus caſei habet, noxium eſt. Nam in iecore & liene obſtructiones facit, calculósque gignit. Si autem lac calculis ignitis immiſsis coctum

fuerit, optimum fit medicamentum, quod ad dysẽterias, & ad ventris acres fluxiones facit. Phthisesq́ iuuat, & hecticos siccasq́ tusses. Morsus etiam ex veneni potione, & qui in vrinæ meatu fiunt, compescit. Lac autem optimum est ex sano animali, non nimis pingui, nec nimis macilẽto, quodq́ recẽs mulctum sit. Quanto enim post emũctionem diutius steterit, tanto deterius fit, & ab optimo deficit. Oportet quoque lac modicè dulce esse & reliquorum saporum expers. adhæc & album esse. ad oculorum item acres fluxiones conuenit. Corpus etiam humectat, si probè concoquatur, bonumq́ habitum ideo facit, pulmoniq́ & pectori vtile est. Vẽtriculum autem lædit præsertim humidum, & caput: vt ait Hippocrates. Lac caput dolentibus exhibere, malum, facilè enim alteratur. Verùm in ventriculo sæpe coagulatur. Offendit præterea dentes & gingiuas, atque idcirco qui dentium debilitate laborant, post acceptum lac, os ipsum melicrato, cum vino colluere oportet.

ραφάνια, Rapæ. III.

RApæ, calidæ ſunt ſecunda diſtantia, & humidę prima: ſatis nutriũt, & lotium cient: inflant & genitale ſemen gignunt, fauces ac pectus leniunt. His ſi frequentius vtamur, craſſum gignunt humorem iecurq; obſtruunt. Venerem nec ſiſtunt nec ciunt: ſi cum aceto & ſale edantur, appetentiã ſuſcitant. Horum verò ſemen contritũ & abundè hauſtum Venerem excitat. Tradunt quòd ſi quis hoc ipſum ſemẽ cum calamentho & lemnia commiſtũ ſumat ac vtatur, nec veneno nec venenati morſu eo die lædetur: quodq; his qui ingenium morbis laborant appenſum, peculiari quadam proprietate meretur.

τάρος, Garus. IIII.

GArus, calidus eſt prima diſtantia, ſiccus verò ſecũda, pituitamq; & craſſos humores incîdit, mediocriterq; ventrem cit, eius excrementa expellendo: verùm ſitim facit, qua cauſa ſiticuloſos id cum aqua roſacea permiſcere oportet. Nonnulli etiam garo

vtuntur ad ea quæ extrinſecus putreſcentia ſunt vlcera.

ANNOTATIO.

Garo Galli Oceani litora incolentes, & Græci, qui ſub Turcarum imperio vitam ducunt, noſtris temporibus vtuntur, vt Rondeletius & Geſnerus aſſerunt.

γλήκων, Pulegium. v.

PVlegium, attenuat & calfacit ſatis. quapropter quæ humida & craſſa in pectore ſunt, quæq; in pulmone humida ſunt & glutinoſa, ſanat, & vt expuentur, facit. Cit & mulierum menſes vino albo decoctum, ſi vinum illud calidum & merum bibatur. Coxendice præterea laborantes, cæteraq; membra refrigerata exterius cataplaſmatis modo impoſitum, iuuat.

r elementi Finis.

Δορκάς, Caprea. i.

CAprearum carnes melioris ſucci ſunt, quàm cęterorum agreſtium animalium, & ad humanum corpus quandam habent familiaritatem: humidisq; & multa excrementa habenti-

bentibus corporibus prosunt. Item morbis colicis & comitialibus, sed ventrem morantur, & neruis siccitatem inducunt.

Δαμάσκηνα, Damascena. II.

DAmascena, frigida & humida sũt secunda distantia: iuuant habentes ventriculum calidum & aridum, ventremq; sua humiditate, & glutinositate ciunt, præsertim qui satis nigricant, stomacho verò minimè conferunt: at si arefacta sint, non adeò lædũt, inappetentiam tamen faciunt, & capitis dolorem, pituitosis præsertim: & nõ valde nutriunt. Damascena quidẽ alba difficulter cõcoquũtur, minusq; ventrẽ ciũt: quę verò lutea sunt & magna, crassum humorẽ gignũt, et difficilius q; cætera cõcoquuntur. Oportet verò ante reliqua cibaria ea sumere: quę aũt austera sunt & acerba, ac immatura, ventrem morãtur. Damascenorũ aũt ius, si potetur, ardentes febres & inflãmationes lenit & iuuat. Gingiuarum quoq; exanthemata, si ore contineatur, sanat, malam insuper temperaturam calidam

ventrisq; retentionem: ſuccus autem arboris eius, cum ſubtilium partium ſit extenuat & ſcindit: atq; ideo plerique aiunt, ſi cum vino bibatur, calculos frangere. Pulmonem etiam & pectus iuuat, lienẽ verò lædit. Succus hic quidem melior eſt, qui ex vetuſta arbore gignitur.

Δαυκία, Daucia. III.

DAucia, calida ſunt ſecunda diſtã tia, humida verò prima. Hęc multo minus nutriunt quàm rapa. Lotium ciunt & Venerem, inflant & difficulter concoquuntur: præſertim ſi cruda edantur. Venerem proritant, menſes prouocant: verùm non ſatis bonum ſanguinem gignunt. Seroſum genitale ſemen reddunt, renes calfaciunt. Quæ autem rubra ſunt luteis ſunt meliora: ob eam autem quam habent caliditatem, moderatamq; acredinem: humores etiam craſſos attenuant, quãuis craſſiorum partium exiſtant. Horum quidem ſemen diureticum eſt & plurimum, menſesq; educit, cum melle ſumptum. prodeſt etiam, vt quidam exiſtimant

mant, quadam peculiari proprietate crurum doloribus, ſed veſicæ officit. Conficitur autem ex his & melle, Daucomel, ſicuti ex roſis Rhodomel: & acria in eo condimẽta immittuntur, & inde fit calidius faciliusq; cõcoquitur, & iecori frigiditate ſuccurrit, flatusq; diſcutit, ſimulq; genitali ſemini adijcit.

ANNOTATIO.

Daucia à Veronenſibus Carotæ vocantur.

A elementi Finis.

Ἔλαφος, Ceruus. I.

CEruorum carnes, mali ſucci ſunt & difficilis concoctionis, & bilem atram gignunt. Oportet autem eas, quæ capiuntur æſtatis tempore euitare, quòd videlicet eo tempore viperis ac ſerpentibus cerui veſcantur: atq; ideo ſiticuloſi fiunt. At hi ſuapte natura norunt, quòd ſi aquam ante illarum concoctionem hauſerint, intereunt, propterea ſitim tolerant, eáque ſummopere incenduntur. Ceruorum igitur carnes eo anni tempore ſumptę, viroſæ ſunt, ac valde noxiæ: & idcirco

cauendum, ne eis æstate vescamur: per hyemẽ tutius sumuntur, meliusq; cõcoquuntur propter interiorem caliditatẽ. Sed si probè non digerantur, crassũ succum gignunt, iecurq; & lienẽ obstruũt. Quinetiã dicitur, si crebrius & sine modo sumãtur, corpus tremulũ & infirmũ efficere. Medulla verò & pingue ceruorũ, durities carcinomatum, si superponatur, emollit. Cornu autem ceruorum frigidum est & siccum, quo domos suffiunt quidam, vt serpentes pellant & ad strangurias, & obstructiones vtuntur, & ad pellendos è ventre lumbricos. Verumtamen pulmonẽ lædit. Ferunt etiã si difficulter patienti adhibeatur, iuuamentum præstare. Sanguis verò ceruinus desiccatus, & tritus sumptus, à venenatis bestijs morsos iuuare dicitur. Si autẽ cerui genitale, desiccatum, & lima in scobem redactum, cum vino potetur, morsibus viperæ succurrit.

Ἔριφοι, Hœdi. II.

HOedorũ carnes facilè concoquuntur, & modicè nutriunt: sanguinemq; tenuem, & humidum gignunt, calidas

calidas etiam ſiccasq; temperaturas iuuãt. Sunt verò meliores, melioríſq; ſuccí, quí nec nimis tenelli ſunt, nec nimis natu maiores. Nam quí ſex menſes excedunt, non hœdí propriè, ſed capellæ vocantur. Rufi autem & glaucí, cæteris meliores ſunt: ſed colicis morbis nocent. Aiũt quoq;, quòd ſi pulmo eorum, ante potum edatur, ea die temulẽtiam auertere.

Ἐρέβινθος, Cicer. III.

CIcera rubra, calida ſunt, & humida prima diſtantia, & difficulter concoquuntur, & ſuperfluitates gignunt, Veneremq; ſtimulant, ac magis, quàm fabæ nutriunt: aperiunt, & menſes educunt, ſalſaq; ſimul & durcí qualitate prædita ſunt: ſed ſalſugine quidem ventrem ciunt, dulcedine verò lotium: inflationes quoq; faciunt, & lac gignũt abſterguntq;. Nigra verò cicera ob eorũ efficaciam, medicamentí vim habẽt, magisq; lotiũ ciunt, & frangũt calculos renũ & veſicę, quod alia legumina nulla vt cicera ęquè faciũt, & præcipuè nigra & parua; & eo etiam magis eorum ius,

quod tamen veſicæ vlceribus ſupra cæ tera legumina officit. Cicera verò rubra, calidiora ſunt quàm alba, & craſsiores partes habent. Cicera vtiq; cuncta, ciunt lotium, infuſaq; noctis vnius ſpacio in aqua, & aqua illa epota, lumbricos eiiciunt. Sed qui ſumpſit, ſex horas ieiunet, oportet: ſi cataplaſmatis more parotidibus imponatur, earũ tumores emolliunt, atq; diſcutiunt. Farina inſuper eorum acetoſubacta, illitaq;, ſcabioſas diſpoſitiones ſedat: eorum etiam ius, ictericos iuuat, lotium album reddit. Oportet verò neq; ante cibum neque poſt, his vti, ſed in medio. At ſi cicera nigra, cum raphano & apia coquantur, iusq; illorum cum oleo amygdalarum ſumatur, renum & veſicæ calculos admodũ purgat: ſi verò cum faba in cibis ſumantur, bonam corporis habitudinem & pinguem carnem faciunt. Dicitur & hoc de ciceribus, ſi quis podragicus cicera nigra coxerit, donec diſſoluta fuerint, cumq; pari mellis deſpumati menſura admiſcuerit, & tres dies continuos ſingulis diebus libram vnã ſumpſe-

sumpsi erit, multum iuuari. Viridia verò cicera inflant, difficulterq; concoquuntur, malumq;, vt quidam aiunt, colorem inducunt.

ANNOTATIO.

Cicera Arietina, alba, & nigra in colore, in quanto magna et parua, reperiuntur. Cicera Orobea, alba & nigra, & magna et parua, inueniuntur.

Ἐλαῖαι, Oliuæ. IIII.

OLiuæ quæ maturæ sunt, tẽperatè calidę sũt, nõ maturę verò, adstringẽtes, & frigidæ & siccæ sunt: ventrem roborant, aluũq; sistunt, at pulmoni noxiæ. Nigræ verò & maturæ facilè corrumpuntur, ventriculóque ac oculis noxię: tum etiam vesicę. Calidæ temperaturæ sunt, & ad siccum magis inclinant. Colymbades verò quæ dicuntur, frigidæ sunt, & siccæ, quæ si cum garo ante cibum sumantur, aluum proritant. Sunt qui tradunt, quòd siquis olearum iure domicilium insperserit interituras in eo pulices, eóque magis, si nonnihil cumini agrestis triti commistum fuerit. Oleæ non plus CCC stadijs procul

à mari proueniunt, & ideo quæ hoc longiore interuallo à mari sunt regiones, oleis carent.

Ελαιον, Oleum. V.

OLeum, mediocriter calidum est, magis humefaciens: immaturũ verò, quo magis adstringit, eo magis frigefacit: quod autem elutum est, minus mordicat. Vetustum quoq; quo vetustius est, tanto calidius est, & magis discutit, eoq; maximè si à principio tenuium partium fuerit, quod cognoscitur si purum est & perspicuũ, & si eius modica pars maximã corporis partem perungat, & facilè ab eo imbibatur. Dignoscetur verò caliditatis & frigiditatis olei quantitas gustu: quod enim dulce est, mediocrem caliditatem habet: quod autem adstringit, frigidũ est, tale autem stomacho bonum est. Fex verò olei, calida est & sicca, & vtilis est inflationibus & ventositatibus splenis, sed pulmoni noxia. Si quis autẽ velit oleo saporem & gustum amygdalini, & pistacini indere, is, dicũt, cum a-

quæ

quæ triplici parte oleum feruefacito, amygdalaq; vel piſtacia trita inijcito, tandiuq; decoquito, donec ipſa aqua igne abſumatur: tunc enim rei iniectæ qualitatem oleum ſumpſerit.

E elementi Finis.

Ζειὰ, Zea vel Spelta. I.

QVæ Zea appellatur, facultatem habet proximam tritico, media quodam modo exiſtens inter ea, quæ calefaciunt, & frigefaciũt. Leuiter autem exiccat: eſt verò facilis concoctionis, boniq; ſucci, uim etiam emplaſticam habet.

Ζίζιφα, Zizipha vel iuiubæ. II.

ZIzipha, cõmenſum quendam habent humiditatis, & caliditatis. Proprietatem verò habent ſedandi ſanguinis acredinem. Bonũ etenim ſuccum gignunt, & euacuãt quod ſeroſum eſt in ſanguine. Facit ad tuſſes eorum decoctum, & ad ſpirandi difficultates, pectusq; & renes ac veſicam. Meliora quidem ſunt Zizipha quę maiora

sunt, qualia sunt Ediſſena. Sedant etenim hæ acrium humorum vomitum: Verùm difficilis sunt concoctionis, & lieni officiunt: quamobrem satius est eorum vti decocto.

Ζιγγίβερι, Zingiber. III.

ZIngiber, calidum est in tertia distantia, humidum verò in prima. Vim habet aperiendi, & cibaria concoquendi: Venerem stimulat & flatus discutit, hebetudini visus, quæ ab humiditate prouenit, prodest, vnde & acutè videre facit. Facit & ad ventriculi frigiditatem & iecoris, & simul ad glutinosos lentosq; humores.

Ζυλάπιον, Zulapion. IIII.

ZVlapion mediocri quadam temperatura est, vergit tamen ad frigiditatem. Conuenit in febre ardenti, non solùm ex flaua bile, verùm etiam ex pituita: facit & ad calidos ventriculos, & ad scabritiem, & asperitatē faucium. Cum aqua verò frigidissima si propinetur, vexatis agitatisq; ardenti febre, plurimum opitulatur: ventriculumq;

lúmque roborat, & inteſtina, & intemperatam menſtruorum fluxionem cohibet.

ANNOTATIO.

De Zulapijs Actuarius & Nicolaus Myrepſium diffusè pertractarunt. Per Zulapium, Hydrozulapium, Sethi intelligit.

Z elementi Finis.

Ηδύοσμον, Mentha. I.

MEntha, calida eſt in tertia diſtantia, ſicca verò in ſecunda, & domeſtica magis quàm ſylueſtris aliquam humiditatem habet. Iuuat quidem hepar frigidum, & ventriculum, & ſtomachum corroborat, & concoctionem facit. Sedat quoq; vomitum, & ſingultum. Prodeſt etiam ſtomachi vellicationibus, & appetentiam ſuſcitat, & flatus diſcutit. Lumbricos interimit, & menthę maximè ſylueſtris ius, & Venerem incitat. Aperit præterea iecoris, & ſplenis obſtructiones. Verùm hac veſci non oportet ad ſatietatem: quoniam ſanguinem extenuat, ſeroſumq;

facit, ipſumq; in flauam bilem facilè vertit. Tum quæ maximè tenuis eſt ſanguinis portio, ad hoc vt diſcutiat, facilè præparat: quæ verò craſſa & melancholica eſt, vt in corpore relinquatur. efficit. Atq; idcirco eos, qui flaua bile tentantur, ab ea abſtinere oportet. Arida autem & trita & poſt cibum ſumpta, facit ad concoctionem, tum etiam ſpleneticos ſanat, ac difficulter patienti ſuccurrit cum vino hauſta. Ferunt etiam quòd manſa fit ophtalmia oculis laborantibus impoſita remedium, quodq; eius decoctum abſorptum, illico eos ſanet, qui ex faucibus ſanguinem eiiciũt. Huius verò ſemen, ventrem purgat, & pulmonem lædit.

H elementi Finis.

Θρύμβος, Thymbra vel Satureia. I.

THymbra, calida eſt & ſicca in tertia diſtantia, vim habet attenuandi pituitam, flatúsque diſcutiendi, & viſum his acuit, qui ob humiditatem illum hebetiorem habent, cibíque con-

concoctionem parat. Sæpius & pituitam euacuat: postq; eius euacuationē rursus ventrem sistit. Et quoniã facultatem habet vt cõcoctionem iuuet, ideo hanc quidam cibarijs his immiscent, qui difficulter concoquuntur. Hæcnõ modò dissipatrix est flatuum: sed & eos prohibet ne gignantur in ventriculo, & intestinis: educit & mulierũ menses. Huius etiam decoctum, lumbricos & tineas eijcit. Dẽtibus si pertundatur mandeturq;, dolores dẽtium, qui sunt â frigore, sedat. Obest verò buboni, bilemq; flauam gignit, & atram, si quis ea nimis vtatur. Sæpenumero etiam in renibus calculos concrescere facit.

Θύννοι, Thynni. II.

THynni, crassi succi sunt, & difficulter concoquuntur, malumq; succum gignunt. Tradunt quòd si genæ thynni sanguine perungantur, liniantur q;, prohibere barbæ ac pilorum exortum.

Θ elementi Finis.

Ιχθύες, Pisces. 1.

PIsces omnes, frigidæ sunt & humidæ temperaturæ. Qui verò in petris ac saxis pascũtur, alijs piscibus meliores sunt. Probè enim concoquuntur, & boni succi sunt, mediocriterque humectant: quoniam duram carnem non habent. Secundi verò ab his sunt in succi bonitate pelagij, hoc est, qui in alto mari versantur, vel vbi flumina in mare immittuntur. Qui in cœno & paludibus nutriũtur, mali sunt: signa, quę pisces boni succi esse ostendunt, sunt mollem carnem habere, squamatam, non glutinosam, non male olentem, neque nimis pinguem, & quæ non in aere confestim alteretur, corrumpatúrue. Pręterea & quę gustui suauis sit, ac cute tenui. Huiuscemodi enim pisces & probè concoquuntur, & bonũ gignunt sanguinem. Tametsi sanguis qui ex omnibus piscib. gignitur, tenuior est, quàm qui de terrestribus animalibus est: prosunt verò iam demonstrati pisces ociosis & non exercitatis hominibus, imbecillibus & qui è morbo conualescunt.

Nihil

Nihil enim aliud tam bene valetudinẽ tuetur, quàm bonus ſanguis. Piſces autẽ qui in fluminibus puris & lympidis paſcuntur, boni ſucci ſunt. Hi ſicuti qui in turbidis, & in quæ cloacæ cæteræq; inutiles materiæ influũt, mali ſucci ſunt & ventriculo noxij. At qui in non ventoſis locis degunt piſces, non boni: & ſiquidẽ marini, his plus. Qui verò paluſtres ſunt piſces accœnoſi, limoſiue plurimã habent humiditatẽ. Et marini qui dẽ piſces melius concoquũtur, ſed difficilius diſtribuuntur: fluuiatiles verò difficilius concoquuntur, ſed melius diſtribuuntur. Conferunt quidem piſces his qui flaua bile redundant, pituitoſos verò lædunt, & qui molliores laxioresq; habent neruos, & præcipuè hyeme: & qui in frigidis viuunt regionibus. Parui autem piſces, qui in aqua pura & fluẽte per terram rubram, glareoſam, arenoſamq; verſantur, vtiles ſunt & probi: qui verò maiores ſunt, & cetacei, difficulter concoquuntur, & craſsioris ſunt humoris, & ſucci. Qui piſcium nutrimento non aſſueti fuerint, eo valde læ-

duntur, ſitimq; inducunt, quanuis frigi di, & humidi ſint, hocq; magis his accidit, qui ventre ſunt biliosiore. Ius quod ex saxatilibus fit piſcibus, ventrem cit. Saliti piſces, calidi ſunt & ſicci, craſſoſque humores incîdunt & extenuant, et magis, ſi boni ſint ſucci. At qui dura carne ſunt, cum saliti ſunt, maiore prædiți ſunt malitia. Sunt qui tradant cauendũ eſſe à ſalitorum piſcium vſu, poſtquàm vena alicui inciſa eſt: alphos enim & ſcabiem ſæpenumero gignunt.

Ἰσχάδες, Caricæ. II.

CAricæ, calidæ ſunt in prima diſtãtia, pectus iuuant, & ad tuſſes faciunt, lotiũ ciunt, ſatisq; nutriũt. Corporis etiam bonum habitum & parant & faciunt: & ſi ante cibos ſumantur, ventrem ciunt, ſed niſi celerius tranſeant, non bonum ſanguinem gignunt. Propterea ſi ad ſatietatem vſque crebro ſumantur, ſcabiem gignunt, & prurítum. Cibus autem probus eſt, & aduerſus venena medicamentum, ſi cum nucibus vel amygdalis edantur. Renes etiam

etiam purgant, & iecur & lyenem deobſtruunt: ſed calefaciunt, ſitimq; inferunt: & his, qui calidioris ſunt temperaturę, bilem flauam generant. Qua ex re qui huiſmodi ſunt temperatura, ſtatim poſt debēt bibere, oxyſaccaron, ſed in oxyſaccari ebullitione, hyſſopum concoquatur. Sanant inſuper & longas tuſſes, & pectoris vitia. Si verò ſuper parotidas & cæteros abſceſſus imponantur, emolliunt & digerunt, & præſertim in his, quibus ſunt carnes molliores: at ſi cum fœno Græco & aceto ſuper podagricorum pedes ponantur, non parum conferunt.

Ἔντυβον, Intybum. III.

INtybum, frigidum eſt prima diſtantia, & humidum eadem diſtantia, ſtomacho bonū eſt, ſi quis cum aceto vtatur. Coctū autem, aluū ſiſtit, aperiendiq; vim habet vt nullū aliud olus. Sanguinis feruorem ſedat, & iecinoris inflāmationes diſcutit, ictericum morbū iuuat, & ſua quadam proprietate, iecur corroborat, & confirmat: ſomnum modicè inducit. Tradunt verò quidam

poſt ſanguinis miſsionem per venam, vel per cucurbitulas, cum aceto ſi quis vtatur, ipſius iecinoris ſanitatem conſeruare. Veneris quoq; ſtimulos retundit: ſemenq; ijs genitale minuit, qui frigidam habent temperaturam. Eſt inſu per vtile cum ſanguis excreatur. Huius deniq; decoctum valde iecori vtile eſt. Semen verò, febres ardentes ex flaua bile factas diſſijcit, at ſpleni nocet.

ἴα, Violæ. IIII.

VIolæ, frigidæ ſunt prima diſtantia humidæ verò ſecunda, proſunt quidem doloribus inteſtinorum, nocẽt verò cordi. Dolores capitis qui fiunt â flaua bile ſopiunt potæ & odoratæ, ventrem quoque mouent: & quam in eo inueniunt flauam bilem educunt: caput quoque ſiccum humectant, calidúmque refrigerant ſuo odoratu, & ſomnum inducunt, humida verò capita, grauedine afficiunt. Harum autem decoctum, quæ puerulis fiunt cynanchæ & comitiales morbi, ſanat. Si verò capiti virides cataplaſmatis modo imponan-

ponautur, mirandum in modum ſuo odore inficiunt. Ex his autem confectum oleum, ſimilis eſt facultatis: nam refrigerat & humefacit. Quidam inſuper dicunt, quòd ſi quis in balneo ante ſudorem eo perungatur, nunquam eũ in corpore habiturum exanthemata vl ceraçp. Eſt etiam vtile ad capitis dolores in febre ardenti, ſi odoretur vel illinatur. Conficitur præterea ex his ſaccharum violaceum, & zulapium violaceum, quibus ad pulmonis & pectoris imbecillitates vtuntur.

I elementi Finis.

Κυδώνια, Cydonia. I.

CYdonia, frigida ſunt prima diſtãtia, ſicca verò ſecunda: ſtomachũ adſtringunt & corroborant, ventrem morantur ſi ante cibum ſumãtur: vrinam prouocant: ſi verò ad ſatietatẽ edantur, difficilis concoctionis fiunt. Quæ dulcia ſunt minus adſtringunt: quę autem acida, magis: vomitum cõpeſcunt. Si verò poſt cibum ſumantur

ventrem ciunt: quibus verò vis ventris retentrix imbecilla est, expultrix verò valida, eo magis ante cibum sumant. A potu autem, si dentibus mandentur, ac tractentur, vini vaporem ad caput distribui non sinunt. Si qua verò (vt fertur) prægnans crebrius cydonia mala comedat, filium faciet ingeniosum ac industrium. Quòd autem sit ex his cydoniatũ nuncupatum, stomacho bonũ est, & iecur confirmat ac corroborat.

Κεράσια, Cerasia. II.

CErasia, frigida sunt & humida, malíq; succi, ventrem subducunt, stomacho parum idonea, humidum ventriculum lædunt, præsertim cũ matura non sunt. Sed calidis & siccis ventriculis & temperaturis prosunt. Gummi autem arboris cum vino sumptum, calculosos sanat.

Κανναβεὼς σπέρμα, Canabis semen. III.

CAnabis semen esitatum, idem ferè nocumentum affert, quod coriandrũ. Si enim immodicè edatur, vt illud desipere facit. Folia verò arida, vti

da, vti farina pota, aut magis si pro potione horum farina mandatur, ebrietatem quandam admirabilem, & sensus priuationem, deuoranti inducit: apud Arabas hæc esitatur pro vino, & inebriat: desiccat verò semen genitale vt caphura.

Κάρυα, Nuces. IIII.

NVces virides quidem si sunt & recentes, calidæ prima distantia reponuntur: quæ verò siccę sunt, secunda distantia calidæ censentur. Virides etiã ventrem ciũt. Et ideo quidam ante cibũ cum sireo comedunt: concoquunt etiam melius cũ amygdala: aridę autẽ si edantur, in ore inflammationes, & vlcera efficiũt. Stomacho quidẽ meliores sunt, si cũ caricis edantur. Ferunt etiam, qui esitauerit nuces cum caricis & ruta ante reliquos cibos, à mortifero medicamẽto magnopere lęsum nõ iri. Cõcoquuntur insuper nuces probè in vẽtriculis frigidis, in calidis verò potius alterant, ac in biliosũ humorẽ vertunt: faucium præterea & capitis dolorẽ afferunt, & tusses augent. Ante alios cibos

ſumptæ, vomitus ſunt effectrices: ſi ad ſaturitatem edantur, ventris lumbricos educunt, & ad dentium mordicationes lancinationéſue vtiles ſunt.

Κολόκυνθα, Cucurbita. v.

CVcurbita, frigida eſt & humida ſecunda diſtantia, ſed probè concoquitur, ſuccíq; boni eſt, parum verò nutrit: ſitim ſedat, lotium cit & vētrem, calidísq; & ſiccis tēperaturis prodeſt. Vētriculi quoq; & iecoris inflāmationes ſedat, pituitoſos verò lædit, & ad colicos affectus propenſos. Si verò humores in ventrículo repererit, ab his corrumpitur, & mali ſucci fit. Veneris appetentiam obtundit, ſemenq; genitale minuit, & ſanguinem tenuem gignit: pectori verò & pulmoni, & veſicæ prodeſt. Succus quidem ramentorum eius ſuper aures cum roſaceo poſitus, prodeſt earum inflammationibus: tota verò cataplaſmatis modo adhibita, calidas inflammationes refrigerat.

Κάσσια

Κάστανα, Caſtaneæ. VI.

CAſtaneæ, calidæ & ſiccæ ſunt prima diſtantia, multumq; corpus nutriunt, tardè tranſeunt, & difficilè concoquuntur, craſſumq; humorem, & capitis dolorem faciunt: flatuoſæ ſunt & ventrem ſiſtunt, ſed ſi torreſiant vel deſiccentur, multum nocumenti deponunt.

Κράμβη, Braſſica. VII.

BRaſsica, calida eſt & ſicca prima diſtantia, malumq; ſuccum & melancholicum creat, oculorum aciem hebetat, & per contraria ſomnia, ſomnium perturbat: ſuccus verò eius purgat: corpus autem eius, ventrem ſiſtit. Propterea cum humidum vētris ſuccū deſiccare volumus, cum modicè cocta fuerit, primam aquam abijcimus, & in alteram calidam feruētemq; inijcimus. Nihil enim frigidi, nec aeris, nec aquæ quæ bis coquitur, tangat, oportet. Braſſica quidē eſtiua, peioris ſucci eſt, quàm hyberna: lotium cit, lumbricos tollit, & quæ ex vino fit, crapulam ſedat. Fertur

& humiditatem comparatam oculorũ hebetudinem ſanare: at ſi cum pingui carne coquatur, plurimam læſionis partem amittit. Flos eius quadam ſua proprietate genituram, ſi ſuper vuluam imponatur, corrumpit, fœminasq́ concipere non ſinit: pulmonem verò lędit. Proditum quoq́ eſt, ſi ante cetera cibaria ſumatur, temulentiam prohibere: & eius ſuccum cum melle ſumptum, voces ex aliquo accidenti amiſſas magnificè iuuare: & ſi vulneribus imponatur ea conglutinat, malignaq́ vlcera induratasq́ inflammationes ſanat.

Κονάρια ἤτοι στρόβιλοι, Pinei Nuclei. VIII.

PInei Nuclei, calidi ſunt ſecunda diſtantia, ſicci verò prima: abundè nutriunt, & craſsioris ſucci ſunt: difficulter concoquuntur, caputq́ grauãt, & bonum ſanguinem gignunt: leniunt quoq́ quæ ſunt in thorace aſperitates: & veſicæ vlceribus proſunt, & acredini quæ in ventriculo & renibus fit. Faciunt & ad tuſſes veteres, & pulmo-

nis

nis humidos affectus & empycos. Qui his cum melle vel vua passa vtuntur, eos reddunt facilioris concoctionis, & ad genitale semen vim addunt. Prosunt & his qui ad tremendum procliues sunt.

Κίνηρα, Cinara. IX

CInara, mali succi eduliũ est, & præsertim cum durescit: & ex ea quidẽ melancholicus humor, ex succo autem, qui in ipsa est, tenuis ac biliosus gignitur. Quare satius est, si opus fuerit, recentiores cinaras edere: sed & harum interiores partes: quoniam reliquorum magis tenerę sunt.

Κίτρα ἃ καὶ μῆλα μηδικὰ ὀνομάζονται,

Citra quę & mala medica vocantur. X.

CItrorum quidẽ cortex, calidus est & siccus tertia distãtia immẽsa: caro autẽ frigida et humida prima. Quod autẽ intus est, acetosum, frigidũ & siccũ tertia. At verò semen, calidũ & siccũ secunda. Caro quòd difficulter cõcoquit crassamq; pituitã gignit: propterea cũ

melle conſueuit eſitari. Cortex autem ad cibationum concoctionem facit, & ad melancholicum humorem, & quæ ex eo fiunt, triſtitias. Stomacho quoq; bonus eſt, ſi quis eo modicè vtatur: cũ autem præter modum ſumitur, difficulter concoquitur. Qui verò cum melle & condimentis paratur, diacitrion vocatus, ventriculum calefacit, & eius humiditatẽ abſtergit, & cibos concoquit: qui verò ſine condimentis pręparatur, difficulter concoquitur. At ſemen, medicamentum eſt contra venena, & venenatorum morſus, præſertim ſcorpiónum, & potum & ſuper poſitum. Menſes etiã educit, fœtusq; qui in vtero sũt vt aboriantur, efficit. Acetoſum autem quod in his eſt, flauam bilem ſedat. Mirum quid eſt, ſi panis calidus ſuper citria ponatur, ſtatim putreſcere facit. Ferunt etiã quòd qui eo per noctem vtatur, oculorum obliquitatem contrahit.

Κάρδαμα, id eſt Naſturtium. XI.

CArdama, calida ſunt & ſicca, craſſosq; humores & pituitoſos ſcindunt. Propterea medicamentis, quæ

quæ asthmaticos iuuant, miſceantur, nã vehemẽter calefaciunt. Sed horum ſemen ad hos effectus validius eſt. Tradunt quidam, eum qui cardamum eſita uerit, ſenſu ac mente acutiorem fieri, Veneriſq; appetentiorem, & ſuccum eius dentium dolori mederi.

Κάππαρις, Capparis. XII.

CApparis, calida eſt & ſicca ſecunda diſtantia. Conſtat verò ex variis diuerſiſq; qualitatibus, amara videlicet, qua abſtergit, purgat, ſcindit, acri, qua calefacit, diſcutit, extenuat, & aſtrictoria, qua cogit & conſtringit. Quapropter duros lienes, ſi quid aliud iuuat, & ſumpta & cataplaſmatis modo ſuperpoſita, cum aceto, vel oxymeli te, menſes cit: & ad dentium dolores facit, cum vino decocta & aceto. Cortex autem valentior eſt circa hæc: folia verò & caulis & fructus imbecilliór. Duritias autem ſtrumarum mollefacit: at ſuccus, aurium vermes perimit. Aceto verò impoſita, iecoris & lienis obſtructiones aperit, lienémque ſua quadam

proprietate mirum in modum iuuat, & coxendice laborantes. Sed renes & ve ſicam lædit.

Κρόμμυα, Cepæ. XIII.

CEpæ, calidæ ſunt ſecunda diſtantia, humidæ verò tertia. Harum quidem ſubſtantia craſſa eſt, lotium ciunt, ſemen genitale gignunt, & ſi ante cibos edantur, appetentiam ſuſcitant, ſed capitis dolores faciunt, & ſtomacho officiunt, mentemq; lædunt. Si verò coquantur plurimum malignitatis deponunt, vtilesq; fiunt & ad pectoris aſperitates & tuſſes. Hæmorrhoidas, ſi ſuperponantur, aperiunt, & cum aceto, ſi liniantur, alphos abſtergunt. Quæ tametſi craſſæ ſubſtãtiæ ſint, ipſæ tamẽ humores craſſos, & glutinoſos extenuant, ſed ventriculum inflant. Si verò quis crebrius his vtatur in lienis vitia incidit.

Κινάμωμον, Cinnamomum. XIIII.

CInnamomum quod optimum eſt tertio ordine calefacientium & deſiccantium eſt: quod autem minus

minus bonum eſt, ſecundo ordine eſt. Valde quidem extenuat, nihilque eſt, quod ſic deſiccet, ex his quæ æquè calefaciunt, quemadmodum cinnamomum: ſtomachum enim purgat, & ad tuſſes humiditate conceptas, facit: ventriculum quoq; calefacit & iecur: capitisq; & ventriculi humiditates deſiccat. Optimum autem eſt cinnamomū quod Muſulon vocatur: hoc eſt, quod de Muſulo ciuitate aduehitur. Sunt verò cinnamomi ſpecies ſeptem, quæ à locis, vbi gignuntur, denominantur: de quibus dicere præſentis non eſt inſtituti. Stomacho quidem omnes boni ſunt cibariáque concoquunt, & pituitam extenuant: aperiendi vim habent, lotium ciunt, menſesq; educunt, & abortiri faciũt, ſi potẽtur, vel cũ myrrha vtero admoueantur, cantraq; venenatorum animalium, morſus & venenorum ſumptionem antipharmacũ eſt. Alphos tollit, ſi cum melle perũgatur: & ad hydropicos affectus & ad refrigeratos renes facit. Propterea qui ſunt frigida & humida temperatura, hoc domeſticis ſuis

cibarijs commiſceant: veſicam tamen offendit.

Καρυόφυλλον, Caryophyllon. XV.

CAryophyllon, calidum eſt & ſiccum ſecunda diſtantia: ſunt qui in tertio ordine conſtituant. Eſt autem arboris fructus, ſuccurrit ſtomacho, & hepati, & cordi. Nauſeam ſiſtit, quæ ab humiditate prouenit, ſed pulmonem lædit.

Κάρυον ἀρωματικόν, Nux odorata. XVI.

NVx odorata, calida eſt & ſicca ſecunda diſtantia: ventrem moratur, & ſtomachum confirmat & iecur: facit ad vetuſtos & longos eius affectus, ſed pulmonem lædit.

Καρναβάδιν, Cuminum Aethiopicum. XVII.

CVminum Aethiopicum, calidum & ſiccum eſt in tertia diſtantia: vtile verò eſt ad concoctionem ciborum & flatuum diſcuſſionem. Stomachum

machum firmat, ventrem ſiſtit, lumbricos necat, vrinam mouet, pituitam ſcindit: at bilem flauam, in calidis corporibus gignit.

Κύμινον, Cuminum. XVIII.

CVminum, calidum eſt & ſiccum tertia diſtantia, quidam tamen in ſecunda reponunt: lotium cit, flatus, & eos præſertim, qui ſunt in ſtomacho, diſcutit: ſi verò per ſe potetur, pallorem creat, ſanguinis fluxionem compeſcit, etiam ex naribus: item vehementem menſium fluxum cum vetuſto oleo, ſi potetur, vel in vtero ſi ponatur. Deſiccat quidem ſtomachum, & igni toſtum, & aceto irrigatum, ventris fluxiones ex humiditate contractas, ſiſtit: tritum & ſuper mulierum mammas lactis coagulatione turgentes poſitum, ſanat. Si verò cum vino potetur, contra venena, & venenatorum morſus, medicamentum eſt. Dicunt autem nimium huius vſum, calculos in renibus gignere, ſuffitu verò culices pellere.

Κολίανδρον, Coriandrum. XIX.

CORiandrum, ſiue corianum, frigidum eſt prima diſtantia, ſiccum verò tertia, ſtomacho bonum eſt eiq; robur præſtat. Cibaria tãdiu in ſtomacho retinet, donec probè concoquũtur: toſtum verò igni, ventrem ſiſtit, inflammationes & calidas temperaturas iuuat. Sanguinis fluxiones, ſi potetur, retundit. Similiterq; ſi tritum ſuperponatur: cum vino autem potum, lumbricos educit. Plurimus quidem huius & ſine modo vſus paraphreneſin facit & ipſius ſuccus, ſi potetur, venenũ eſt & perimit: hi nanq; vocem amittunt, paraphreneſiq; corrumpuntur.

Κρόκος, Crocus. XX.

CRocus, ſecunda diſtantia calidus eſt, & prima ſiccus, tametſi eum nonnulli calidum eſſe tertia dixerunt: ſtomacho bonus eſt, ciborúmque concoctioni cooperatur. Aperiendi vim habet, ad pituitoſas affectiones & lethargicas confert, vim etiam diſcutiẽdi tenet, & viſceribus vtilis eſt, ad ſpiritus q; difficultatẽ facit. Nam ſi quis modicẽ

dicè vtatur, bonum calorem habebit, si verò sine modo, pallorem, capitis dolorem & in appetentiã affert. Sed si cum opio & lacte, & rosaceo, podragicis adhibeatur, summoperè prodest, superpositis betę foliis. Si quis verò eius tria exhagia sumat, risu inceſſabili corripietur nec ante ceſſabit, quàm pereat. Hoc enim mortem præcedit. Dicitur etiam quòd si cum fermento subigatur, nucisque magnitudine mulitui post partum detur, secundas eijcere.

Καφφρά, Caphura. XXI.

CAphura, frigida est & sicca tertia distantia. Est verò arboris Indicæ gummi vel lacrima. Ferunt autem sub hac arbore, cẽtum homines adumbrari posse, tanta eius est magnitudo. Nascitur in montibus, qui eo loci proximi sunt mari: lignũ habet leue & ferulaceũ. Vtilis verò est caphura morbis acutis, & capitis doloribus, & inflammationibus, iecoris præsertim, sed frigiditatem inducit renibus, & seminarijs vasculis, semenq; ipsum compingit. Probatur caphura an legitima sit, hoc pacto: superponatur pani calido, si hume-

ctetur, legitima eſt. Sin minus, factitia eſt.

ANNOTATIO.

Caphuram factitiam Dominicus Montiſaurus facere nouit, ſed neminem docuit.

Κρίνον, Lilium. XXII.

LIlium, ſuopte temperamento calidum eſt, odoratum verò conducit frigido capiti: at oleum quod ex ipſo paratur, vim habet diſcutiendi, & emolliendi. Quidam & huius radice vtuntur, ad cicatrices vlceribus inducendas.

Κέφαλος, Cephalus. XXIII.

CEphalus, præ cunctis piſcibus aquis fluuialibus & marinis gaudet, difficulter concoquitur, nec bonus eſt ſtomacho: pituitam enim gignit, præſertim fluuiatilis: pelagius autem non adeò difficulter concoquitur, ſuccíq; melioris eſt, tenuiorem tamen ſanguinem imbecillioremq; gignit.

Κοβιός, Gobius. XXIIII.

LItoralis piſcis hic eſt: & qui quidē in arenoſis litoribus aut ſaxoſis promontoriis viuit, boni ſucci eſt faci-

facilisq; cõcoctionis: qui verò in ostijs fluuiorum, vel in paludibus degit, nec boni succi est, nec ad coquendum facilis. Huius quidem piscis ius, ventrem subducit, assus autem, & sine sale comestus, dysenterias & lyenterias & tenesmosas propensiones sanat.

Καρίδες, Squillæ Marinæ. XXV.

SQuillæ marinæ, alicuius sunt caliditatis, ac humiditatis participes, male concoquuntur, & stomacho noxiæ, Veneris desideriũ mouent. Efficaces sunt peculiari quadam proprietate ad mulierum conceptus: tritę quoque, & cum oxymelite potæ, lumbricos eijciunt. Ferunt etiam quòd si terantur, & ei particulæ imponantur, in qua cuspis sagittæ, vel spina infixa sit, physica quadam facultate ea educere. In quibusdam verò locis, adeò magnæ nascũtur, vt propè palmum excedant: quæ quidem sunt alijs efficaciores.

Κάραβοι, Locustæ Marinæ. XXVI.

LOcustæ marinæ, difficulter concoquuntur, sed admodum nutriunt, salsiq; succi participes sunt: & si-

quidem ſæpius aqua dulci coquantur, ventrem cohibent. Feruntq́, ſi horum teſta combuſta cum meraco potetur, renes calculoſos purgare, quòd arenoſi lotij multum educat.

K elementi Finis.

Λαγωὸς, Lepus. I.

LEporum carnes, his qui corpus a refacere volunt, ſunt valde vtiles. Qui verò ſiccioris tẽperaturę ſunt minus cõferunt. Craſſum enim & melã cholicum ſanguinem gignũt, ſiſtuntq́ ventrem, vrinamq́ proritant. At ſi probè concoquunt, probè etiã nutriunt. E cõtrario obſtructionẽ iecori ac ſpleni efficiunt, pulmonique nocẽt & vigiliã aferũt. Leporis verò coagulũ ad bilioſas ſtrãgurias & vomitus facit, & ad venenatorũ morſus: cõceptũ verò prohibet ſi poſt mẽſium purgationem ſumatur. Ferunt etiam ſi fœminæ leporis pudendum teratur, & cum vino à muliere bibatur, id præſtare vt concipiat, ſi ſtatim poſt eius hauſtum cum viro iaceat.

Aiunt

Aiũt item ſi leporis cerebrum aſſatum ſumatur, tremulos iuuare.

Ἀμυγδαλάι, Auellanæ. II.

AVellanæ, quæ & nuces ponticę dicuntur, calidę ſunt, & humidæ, magis tamen nutriunt quàm cæteræ nuces, & difficilius cõcoquuntur, inflationesq; faciunt, &, veluti quidam aiũt, ieiunum inteſtinum lædunt: facilius verò concoquuntur, minusq; ventrem ſiſtunt, ſi ſine cortice interiore ſumãtur. Dicitur quoq;, ſi quis ante reliqua cibaria ſumpſerit cum ruta, huic venena nec morſus venenatorum officere die illa: ſcorpionesq; ab eo fugere. Sumpto verò cum caricis, morſum ſcorpionis venenati ſanant, & quod ad acidam qualitatem, quæ ob nigrum ſuccum in ventriculo eſt, valde proficit.

Λίβανον, Thus. III.

THus, calidum eſt in ſecunda diſtantia, ſiccum verò in prima: habet & quandam adſtringendi facultatem, nõ nullámque ſiſtendi ventrem, & deſiccandi: ſuffitum verò, tuſſim ſanat, & diſtillationes, & mulierum menſes educit

potum: & ſubtus impoſitum. Habet autem admirandam quandam proprietatem ad auertendam peſtem, ſi ſuffiatur & ideo eo peſtilentię tempore frequẽties ædes ſuffumigantur. Corruptricẽ nanq; aeris qualitatem alterat.

Λάδανον, Ladanum. IIII.

LAdanum, calidum eſt ſecunda diſtantia tenuiumq; partium, & moderatè emollit: habet & nonnullã adſtringendi vim, propter quã defluentes capillos confirmat.

Λάβραξ, Lupus piſcis. V.

LVpus, proximus temperamento eſt cephalo. Hic enim ſanguinem tenuem gignit & pituitam: verũtamen quia ſuauior eſt, fit vt magis quàm cephalus iuuet.

Λ elementi Finis.

Μῆλα, Mala. I.

IN malis, multa eſt differentia: quęcũque etenim adſtringunt, frigidum habent & terreum ſuccum: quæ verò acida

acida ſunt, frigidum quidem, verùm tenuẽ illum habent. Mediĳ autem temperamenti ſunt dulcia, quæ ad caliditatẽ magis vergunt. Adſtringentibus ergo malis vti conuenit, quoties ob intemperiem calidam vel humidam ventriculi robur male ſe habet. Huiuſcemodi autem mala, ventrem detinent. Acida verò exhibenda ſunt, quoties in ventriculo humor craſſus nõ tamen valde frigidus fuerit collectus: incîdunt enim hęc & infra ſubducunt. Dulcia autem his danda, qui frigidum ventriculum habent, his enim conueniunt, & ſimul his qui à venenatis morſi fuêre. Mala certè omnia quadam peculiari proprietate neruis nocent, nocent & quæ non matura ſunt. Dicuntur & obliuionem facere iĳs, qui ad ſatietatem iĳs vtuntur: verùm vtilia ſunt ad animi deliquia, & cordis debilitatem.

Μαλάχια, Lactucæ. 11.

MArulia, quę thridacinę etiam vocantur. Lactucæ frigidæ ſunt & humidæ in tertia diſtantia. Hæc olera cum eduntur, ſitim ſedant, ſomnũ

inducunt, ſed neq; difficulter concoquuntur, quemadmodũ & cetera olera modiceq; ventrem proritant, nec noxium ſanguinem gignunt nõ perfectè tamen bonum: calidis verò ventriculis proſunt. Verùm ſi ad ſatietatem edãtur corporis debilitatem faciunt: viſum hebetãt, & ad res Venereas minus pro cliue corpus reddunt: ſemen lactucæ potum, feminis fluxum ſiſtit. Si cum rhodeſtacmate tritum non dormire potentium temporibus illinatur, ſomnum inducit. Lactucarum autem vſum vitẽt qui ſanguinem expuunt, & qui aſthmatici ſunt. Item qui pituitoſi, quiq; liberis dare operam cupiunt. Nam, quemadmodum aiunt, non ſolùm parentum genituram minuunt, ſed & liberos ad generandum impotentes reddunt. Decocta verò cum ſiſamino oleo ſi edantur, icterícis ſuccurrunt. Aſſimilant quidã lactucarũ frigiditatem humiditatemq; frigiditati humiditatiq; aquæ fontanæ, atq; idcirco ad febres perardentes vtiles eſſe aiunt. Dicitur etiam, ſi ſumãtur, nocumentum, quod ex aquarum mutà

tione

tione fit, eas auertere: lactucarum præterea succus, si abundè sumatur venenatus est, & perimit.

Μαλάχη, Malua. III.

MAlua, frigida & humida est prima distantia, facileq; ventriculũ subit non solùm propter humiditatem, verùm etiam propter glutinositatem, atq; in primis si cũ oleo & garo assumatur, & quo editur tempore vino irroretur. Ceterùm pectus, pulmonem vesicamq; iuuat, vocemq; raucam lenit: atagrestis malua si comedatur, vt ferunt, dolores tollit ex morsu vesparũ. Succus verò eius ac præsertim agrestis, si à vespis vel apibus morsus quis eo perungatur, illico dolorem leuat. Decoctum verò huius, vt ferunt, calculos frangit, somnũq; conciliat facilémque partũ præstat, si mulier crebrius eo vtatur: inflammationes quoq; sedat ac duritiés mollit, si cataplasmatis modo ijs imponatur: verùm illud proprium mal uę ac peculiare maximè est, vt apum vesparúmque ictibus superposita, sedet dolorem.

Μελάνθιον, Git. IIII.

GIt, calidum eſt & ſiccum tertia diſtantia, ſed tenues partes habet, ventris vermes necat, flatus diſcutit, pituitã ſcindit, & ad orthopnœas & rheumatiſmos facit, ſi odoretur, præſertim calefactum. Dicitur autem, ſi teratur, & aceto ſubigatur, & ſuper ventrem ponatur, etiam ſic vermes necare: quoq; ſi cum melle fermentetur: & cũ calida aqua hauriatur, liquefacit calculos in renibus & veſica, & vrinam cit & menſes prouocat. Eſt & antipharmacũ contra venena, ſi quis ipſum ieiunus aſſumat.

Μελισσόφυλλον, Meliſſa. V.

MEliſſa, calida eſt ſecuuda diſtantia: cordis morſus ex frigore factos, & animi triſtitiã ex atra bile iuuat, timoresq;, qui ſine ratione fiũt ab illa profectos, permulcet, animiq; lętitiam efficit, & ad melancholicum humorẽ & phlegma facit. Perſuaſum etiã eſt, quòd prudentiam homini affert: & quòd ante ſomnum ſumpta, bona inſomnia facit, è contrario braſsicæ: quæ

mala

mala insomnia affert. Melissa, bubones lædit. Conficitur verò ex ea Zulapium quod ad melancholicas affectiones & ad mærores qui ex ipsis oriuntur, maximè confert.

Μόσχος, Moschus. VI.

MOschi diuersæ sunt species, quarumquæ melior, fit in vrbe quadam quæ magis Orientalis est quàm Chorase, quæ dicta est Tupata. Est autem moschus hic colore subflauus. Hoc ipso peior est, qui ex India deuehitur, & magis ad nigredinem inclinat, hoc etiam deterior est, qui ex Synis defertur. Omnes quidem in vmbilico cuiusdam animalis maximi & vnicorni gignuntur, quod capreæ simile est. Oestro enim concitatum cum fuerit huiusmodi animal, vmbilicus eius intumescit sanguine in illum crasso collecto: tumq́ animal ipsum pabulo & potu abstinet, humiq́ volutatur: tum demum reijcit vmbilicum, eo sanguine fœtulento plenum: qui certo quodam tempore coagulatur, bonumq́ odorẽ consequit̃. Est verò moschus calidus &

ſiccus tertia diſtantia, & tenuium partium, confirmatq; imbecilles particulas, caputq; frigidum, lędit verò calidũ: illis quoq; vtilis eſt qui animi defectũ patiuntur, quiq; vires reſolutas habẽt. Facit & ad cardiacos affectus, ipſum enim cor confirmat, & roborat, ſed pallore corpus inficit. Probant quidem non nulli, an moſchus legitimus ſit, & non adulteratus, hoc modo: cum ponderatus fuerit, in peluim aut gutturniũ madens, humensq; deponunt, tum poſt iterũ librant, ac ſi quidem grauior quàm antea ſit, tum non adulteratum putant: ſi verò non, ſuppoſititium illegitimúmque iudicant.

μάλαθρον, Fœniculum. VII.

FOeniculum adeò promptè calefacit, vt ſit in tertio ordine calefacientium, deſiccat verò non ſimiliter, ſed primo ordine, & propterea gignendo lacti efficax, quod non faceret ſi valenter exiccaret, qua eadem ratione ſuffuſis remedio eſt: prouocat vrinam, mulierum menſes educit. Eſt & alterum

fœniculum

fœniculum agreſte, quod ob magnitudinem Hippomarathrum vocãt, quod & radice & ſemine ſuapte vi, quàm domeſticum, deſiccandi vim habet maiorem: & ideo (vt mihi videtur) non nihil ventrem ſiſtit. Non enim illi manifeſtę adſtrictionis aliquid ineſt.

Μέσπιλα, Meſpila. VIII.

MEſpila, quæ matura ſunt, nonnihil caliditatis participant: quæ non matura, frigida ſunt & ſtringere valent, ventremq; ſiſtunt.

Μήκων, Papauer. IX.

PApauer, quod & Codia dicitur, frigidum eſt & ſiccum prima diſtantia. Melius eſt album quàm nigrũ. Somnificam vim habet, & difficilis eſt concoctionis, parúmque nutrit: ſi autem cum melle edatur, ſemini genitali adijcit. Prodeſt & pectori, & aſperæ arteriæ ac tuſsi: ventrem verò ſiſtit, & ſi falſo quidam putarunt ipſum ciere, cum contrariũ efficiat. Capiti qui

dem officit, ſi copioſius edatur, aggra-
uátque. Sunt qui vigilia laborantium
eo contrito frontem liniunt: quòd ſcili
cet ſomnum conciliet. Cæterùm nigrũ
papauer, frigidius eſt, & ſoporiferum
magis adeò vt, ſi quis eo copioſius vta-
tur, profundo ſomno capiatur lethargi
cis aſsimilis: cum roſaceo verò oleo, ſi
caput perungatur, capitis doloribus
medetur, qui ex calore fiunt. Proditum
etiam eſt, quòd ſi cum lacte muliebri,
cataplaſma fiat, ex eo podagricis pro-
deſſe. Eiuſdẽ papaueris liquor venenũ
eſt: nigri verò ſuccus, opium vocatur.

Μέλι, Mel. X.

MEL, calidum eſt & ſiccum ſecun
da diſtantia, tenuiumq; partium
eſt, & detergendi vim habet, &
aliquid acrimoniæ; propter quod &
ventrem ad excretionem exuſcitat, vri
nam cit, & facilè diſtribuitur, ventrem-
que non mouet, ſi plurima aqua miſtũ
tãdiu decoquat, donec perfectè deſpu
matũ ſit, aſsiduè ſcilicet dum feruet ſpu
mã auferendo. Senibus quidem mel, &
quibus

quibus temperamentum frigidum eſt, confert, non vtiq; iis, qui in vigoris ſtatu, quiq; calidi ſunt: quoniam in bilem facilè vertitur. Si autem per ſe ſolùm coquatur, minus acre efficitur, & magis nutrit, & ad ſinuum conglutinationes conuenit. Optimum verò mel, quod ſuaue, & acre, & flauum, quodq; mediũ inter craſſum ac tenue. Melius præterea verno tempore colligitur, tũ quod æſtiuo, inutile verò hybernum. Conuertitur facillimè mel in flauam bilem, præſertim in calidis ventriculis. Purgat & corporis ſordes, & incorrupta conſeruat cuncta, quæ in ipſo injiciuntur, & ideo Antiqui mortuorum corpora melle condibant, in ſepulcris. Prodeſt & comitiali morbo laborantibus, magis quàm vinum: quoniam ad caput diſtribui non poteſt, vt vinum. Appetentiam etiam ſuſcitat eorum, qui minus propter pituitoſam materiam appetũt: craſſiora ſputamina incidit, educitq;. Quæ verò cum melle parantur edulia, quanuis ſuauia, difficilis concoctionis ſunt: & niſi probè concoquantur, ieco-

ri ac lieni obſtructiones faciunt: quòd ſi ad ſatietatem, & frequentius mel edatur, ſcabiem gignit.

Μαλάχιον, Melangina. XI.

MElangina, calida eſt & ſicca ſecũda diſtantia, & melancholicum humorem gignit: crebrius verò ſi quis vtatur, pallorẽ inducit, affectũs melancholicos: at ſi cum aceto ſumatur obſtructiones aperit. Oportet igitur eam ante decoquere: quo etenim magis coquitur, eo plus in ea mali ſucci eijcitur.

Μυρσινόκοκκα, Myrti baccæ. XII.

MYrti baccæ, frigidæ ſunt & ſiccæ prima diſtantia. Opitulantur ſanguinẽ expuentibus, & à ſcorpionibus percuſsis, & ijs quibus aluus fluit. Eam enim fortiter ſiſtunt, ſed veſicæ nocent. At albæ & dulces, alicuius ſunt participes caliditatis. Cunctæ verò aluum compeſcunt, ſoluũtq; calidas & humidas exhalationes: eademq; ratione ipſius plantæ folia odorata, & capiti impoſita. Medentur & dentium doloribus, qui ex calore fiunt, ſi ipſarũ decocto

decocto calido os colluatur. Baccæ vti que ad defluentes capillos ſimul cum galla valent, cum oleo ſi conterantur, & capiti imponantur. Foliorum verò ſuccus, viperæ & ſerpentis ictus ſanat, ſi eius librę dimidium ſumatur. Scribit Democritus quandam ſympathiam eſſe naturalem myrto ad mala granata. Proximè enim conſitæ, fœcundiores fiunt, earúmque radices inuicem connectuntur, & ſi non multum etiam propinquæ ſibi fuerint.

Μαστίχη, Maſtiche. XIII.

MAſtiche, calida eſt cum quadam humiditate: his prodeſt, qui à glutinoſo phlegmate læduntur: euacuat enim pituitam, ſi quis drachmas quatuor ſumat, & æquè prodeſt ac purgans medicamentũ. Facit & ad ſtomachos frigidos, non modò intus ſumpta, verùm etiam foris impoſita, quemadmodum & ex illa confectum oleum.

M elementi Finis.

N elementum deficit.

Ξυλοκέρατα id est Siliquę ligneæ, quę & Ceratia vocantur. I.

CEratia, Galenus hæc damnat, optãs ne ex ijs vbi nascũtur locis ad nos adueherentur, vt quę malum succum habeant & lignosa sint, & difficulter concoquãtur. Recentiores verò aiunt ea corroborare stomachum post cibum assumpta, potenterque sistere ventris fluxiones, si ante cibum mundantur.

Ξιφίας, Gladius. II.

XIphias mali est succi & multarum superfluitatum, difficilisq; concoctu, ac nauseam afferens: & propterea ab hoc edulio abstinere melius est. At si quis nonnunquam eo vti velit acrioribus condimentis excoqui iubeat, vinumq; superpotet & valde vetustum & tenue.

Ξυλαλόη, Lignum aloes. III.

XYlaloe, lignum est arboris, quę in diuersis Oriẽtis regionibus nasci tur, & partibus Meridionalibus, quod quandiu incorruptum est, nullã habet

habet differentiam ſuo odore à cæteris arboribus. Vbi verò putruit, bonum nanciſcitur odorem, non admodum tamen perfectum: ſed eorum regionum incolę, concîdunt, & ſub terram multo puluere obruunt: & poſt aliquot temporis ſpaciũ, quantũ ſufficere viſum eſt, ipſius ligni partes educunt, & mercatoribus vendunt. Qui verò in Aegypto & alijs regionibus ſunt, abradunt, & corticem abijciunt, & ita in hanc ſpeciẽ redigunt. Xylaloe verò decem ſunt differentiæ: quarum decima quidem Indica eſt, & in India naſcitur. Samphia verò dicitur, quæ in Samphi ciuitate prouenit & quæ Speon dicta eſt: quæ xylo aloe ſimilis eſt, cum nõ ſit proprie xylo aloe. Ad hęc, eſt quæ appellatur Humida: cuius rurſus quatuor ſunt differentiæ, de quibus non eſt, vt nũc dicamus. Cunctæ verò, calidæ ſunt & ſiccæ, & ventrem ſiſtũt, & ſtomacho bonæ: præſertimq; Humida, & poſt hanc Indica: cæteræ verò minus. Corroborant autẽ particulas interiores & quæ in iecore ſunt obſtructiones ſoluunt, humidita-

tesq; ventriculi assumunt. Ceteræ verò ſpecies, ſi crebro ſuffiãtur, propter dulcedinem pediculos gignũt: ſed Indica ſola prohibet horum generationem, ob ipſius acredinem.

Ξ elementi Finis.

ὀρύζα, Oryza. I.

ORyza, eſt prima diſtantia calida ſicca verò ſecunda: ſatis habet nutrimenti, ſed difficilis eſt concoctionis. Oryzam ſcribit Diaſcorides aluum ſiſtere. Galenus quoq; ait, quòd huius ſemine omnes vtuntur, ad alui ſuppreſsionem, & hanc vt alienam affert opinionem, quę ei etiam placet. Alba erga cum ſit oryza, modicè ſiſtit: rubra verò cum eſt, magis propter ſiccitatem adſtringit: cum lacte verò apparata, bonum habitum, bonumq; colorem affert, & genitali ſemini adijcit.

οἶνος, Vinum. II.

VIno quidam propter eius vtilitatẽ vtũtur, quidam quòd animã exhilaret, alij propter eã, quæ in eius guſtu eſt, voluptatẽ. Sunt qui propter hæc omnia. Eſt verò nouũ vinum, calidũ prima

ma diſtantia: quod aũt valde vetuſtum eſt, tertia: quod mediũ, inter hęc duo ſe cũda eſt diſtãtia calidũ. Repoſitum eſt vinũ inter ea quæ corpus nutrire apta ſunt. Rubrũ ergo & craſſum, præcipuè ſanguinis generationi cõuenit. Parua enim eget mutatione, vt in eũ vertatur. Poſt hoc moderatè dulce, craſſumq́, poſt hæc auſterũ: poſtea giluũ. Inter vina verò, album, & tenue, & auſterũ, minus corpus nutriũt: & quidẽ craſſa, magis quàm ſubtilia nutriunt, maleq́ concoquí poſſunt. Verùm ſubtilia magis diſtribui magisq́ vrinam ciere valent. Craſſa quoq́ vina ventrem retinent, & quędã ex ijs obſepiunt iecur, lienẽ & renes. Et hinc quidã ſubter cutẽ aqua laborãt, quidam calculis, quí eis nimis vtuntur, & præcipuè ſenes. Iis verò, qui temperato, ac medio ſunt temperamẽto prædíti, conuenit vinum colore rubrum, & ſubſtantia tenue, ac ſubſtringens placidè. Pituitoſis autem commodum eſt vetuſtũ & tenue & giluum, odoratum & ſubſalſum. Vinum quidem non ſolùm nutrit, ſed &, vt cibaria pro-

bè diſtribuantur, facit: caloremq; innatum ſuſcitat, & auget: & eorum qui vtũtur hoc, plericq; cum corpore exiſtãt arido, in bonum habitum deueniunt. Præcipuã hanc habet proprietatem vinum, vt cibaria prouehet ac deducat ad ſingulas particulas, & per anguſtos meatus propria ſuarum partium tenuitate, tranſmittat: membra ac particulas calefacit, & bonam cõcoctionem facit: lotium cit, per quod non minima ſuperfluitatũ quantitas excernitur. Magis autem vini vis & actio perſpicitur in corporibus frigidis & aridis, & in quibus minus innati caloris ineſt, vt in ſenibus, & qui è morbo conualeſcũt. Vinum verò vetus, ventrem excitat, & obſtructiones aperit, & ijs conducit, qui pituitoſos humores in corpore collectos habent. Vinum autem nouũ, inflationes facit, & difficulter concoquitur, & craſſum gignit humorem, grauitatemq; capiti, & dolorem infert. Oportet verò eos à vini vſu cauere, qui calefacti ſunt, quicq; febriunt: Ait enim Galen. in libro de Temperamẽtis, quòd vino propriũ eſt &

eſt & peculiare cito immutari, vt faci, thryallidi, ſtupæ & pici. Quòd autem vinum animum exhilaret, id in cauſa nonnulli eſſe dixerunt, quòd melãcholicum humorẽ attenuet: alij verò quòd ſanguinem ipſum fundat, ac fluidum reddat, idq; cõiectantur ex his qui præ ſanguinis copia in capite, in deſipientiam incidunt. Eſt verò horum deſipiẽtia cum riſu. Non ſolùm autem hęc quę prędiximus in corporibus vinum agit, ſed & in anima alterationes quaſdam admirandus oſtendit. Lætari enim animam, & bene ſperare facit, & virilem, & liberalem. Ad hęc timidos quàm plurimos videre licet poſt vini potionem, audaces, alacres, & bono animo, ſpeq; bona fieri, & qui ſordidi, liberales: qui taciturni ac prudẽtes, immodicè loqui vt etiam Homerus oſtendit his verſibus: Vlyſſeæ XIII.

Compulit vt vinum prudentem promere carmen
Dulceq; ridere, atq; agili ſaltare chorea.

Nonnulli veritatis amatores in vini potu fiunt: Vinũ enim & Veritas, quoddam ait prouerbiũ. At verò nimius cõ-

tinuusq; vini vſus, vitale robur diſſoluit, naturalemq; calorem ſubmergit: apoplexiasq; ſæpius & epilepſias inducit, & tremulam corporis diſpoſitionẽ: nocetq; diuinæ ac principi animæ parti, quàm ἡγεμονικὸν Græci vocant: propterea q; qui ſic vina ingurgitat, tenebricoſos obſcuroſq; ſenſus habent: diſcurſusq; his haud purus eſt. Et Poeta vim labefactandi, quæ in vino eſt, declarans inquit:

Iliados. VI.

Ne mihi des dulcem genitrix venerãda lyæum,
Ne me debilites, fortem nec me eſſe recorder.

οξος, Acetum. III.

DE Aceto, apud veteres multa ambiguitas fuit. Nam quidam calidum eſſe dixerunt, quoniam ex ſubtilibus partibus conſtat: quidam frigidum, quoniam ſumptum, corpora manifeſtè refrigerat: tandemq; oſtenſum eſt, frigidum eſſe in prima diſtantia intenſa, ſed & ſiccũ in tertia. Ceterùm ad venenata, quæ ſanguinem cogunt, facit, quemadmodum eſt opiũ & cicuta

cicuta. Lac etiam in ventriculo coactũ dissoluit, crassosq; humores, & glutino sos extenuat: ad dentium insuper dolores ex caliditate vtile est, si os eo colluatur: ad erysipelata etiam cõducit, quòd acrium humorum fluxum cohibeat. Sitimq;, quæ ex caliditate & humiditate prouenit, sedat, si cum aqua sumatur, sanguinisq; fluxionem sistit: morsum verò canis rabidi, si crebro inspergatur iuuat. Conducit etiam ijs, qui ictericos habent oculos, in balneo odoratum frequentissimè. Facit & ad ictum scorpionis, si calidum infundatur: iuuat & multum eos, qui calida sunt temperatura, quum flauam bilem vehementer sedet, sed neruos lædit: quoniam exangues sunt: & cum tenuium sit partium, eorum profunda valde penetret. Similiter & melancholicas, & frigidas temperaturas, & arthreticis morbis obnoxios, Veneriscq; appetentiã rescindit corpusq; attenuat. Qui verò frigida & sicca sunt temperatura, ab aceto abstineant: quique non validum pectus & pulmonem & neruos habent: si autem

quandoq; vtantur, melle & edulijs dul cibus calidíssimisq; condimẽtis, nocumenta ex aceto illata curent, nocet verò víſui, vlcerationesq; vticq; igne factas, ſtatim adhibitum iuuat. Ventrem quidẽ ſiſtit, ſed cibariorum appetentiã ſuſcitat. Si aceto quoq; lana perfuſa ſuper recentia vulnera imponatur, eorum inflãmationem ſedat. Huius item exhalatio, & fumus, cum feruet, ad aurium ſonitum, & auditus grauitatem, facit: inflammationibus etiam admodum prodeſt, corporisq; prurítus ſedat, frigidíſque venenatorum morſibus calidum ſuper inſperſum prodeſt, calidis verò frigidũ. Tuſſes autẽ veteres ſedare dicitur, recentes verò augere, & ad phrenitin morbum, capitisq; inflammationes cum roſaceo illitum, remedium non minimum agitur, & ad ſiticuloſos, hydropicosq; : quoniam eorum ſitis de calore & humore proficíſcitur.

Ὀρνίθες, Gallinæ. IIII.

De Auibus ſiue gallinis, & pullis gallinaceis.

GALLINARVM caro facilis concoctionis eſt, & boni ſuc-

ci

ci: & inprimis earum quæ ouum edere cœperunt: secundo autem loco sunt quo ad bonum succum post attagenas, sed magis q̃ attagenę nutriunt, & præsertim si præpingues sint. Hæ autē corpus humectant & non vehementer exercitatos, iuuāt, coloremq̃ bonum cō parant, & genitali semini, cerebriq̃ substantiæ adiiciunt, in primis harum medulla: cerebrum quippe abundè nutrit & idcirco aiunt, quòd his, qui leuiori discursu sunt, prodest: qui autem gallina ceam carnem esitauerint, non statim oxygala sumant: quoniam obseruatum est colicos morbos inde fieri. Qui verò vocantur pulli gallinacei, facilis concoctionis sunt, & moderatum consistentia sanguinem gignunt, nec valde tenuem, nec valde crassum: prosunt autem ociosis, & ijs qui obstructionibus frequentius corripiuntur: ventrem ciunt, & qui stomacho calidi sunt iuuant.

o elementi Finis.

πέπων, Pepon. 1.

PEpon, frigidus eſt & humidus ſecunda diſtantia, ſed minus eſt frigidus, qui dulcis eſt. Qui verò maturus eſt, tenuioris eſt ſubſtantiæ, & abſtergentis ſcindentisq; virtutis particeps, & propterea diureticus eſt, corpusq; limpidat: id quod magis facit, ſi quis eius ſemina ſiccet, conterátque & cribret, ac ſmegmate vtatur. Hoc enim plus abſtergit, ex quo & calculoſis renibus conuenit. Noxium verò humorem in corpore pepon gignit, præſertim cum probè non eſt concoctus. Oportet etiam vt ante reliquos cibos edatur. Pituitoſi quidem vetuſtum vinum ſuperpotent, ſed qui flaua bile tentantur, acetoſum bibant, ne bilem augeant. Omnes verò poſt peponem probi alimenti ac ſucci cibos comedant: hi enim eius nocumentum auertunt, abiguntq;. Eſt quidē pepon facilis alterationis: Nam ſi phlegma in corpore offendat, ſeu bilem flauam, in eas alteratur ſtatim, ac tranſit. Dulcis verò

verò ſupra modum, bilioſis nocet, & pituitoſis valde maturus. Dulcis autem facilius digeri poteſt. Quicunque autem calidum habent ventriculum, & flaua bile perciti ſunt, læduntur, ſi vinum ſuperpotent: cum ſuapte natura pepon facilè diſtribuatur, & vinum vt pepon magis diſtribui poſsit, præparet, acriorémque efficit humorem in eiuſmodi corporibus. Eſt inſuper pepon nauſea idoneum, extenuat quoque craſſos & glutinoſos humores. Conuenit verò & pituioſis, ſi de pepone id ſumant quod in ea ſubſtantia molle eſt & laxum, hoc eſt, id quod ſemini eſt proximum. Bilioſi autem quod ad corticem proximum eſt. hoc etenim non facilè corrumpitur. Qui verò Pepones ſumpſerint, morari non oportet, & non ſtatim altero vti alimento: pepones enim alterarentur. Tradunt quoque non oportere calculoſos panem eſſe confeſtim, ne videlicet eius glutinoſitas, in renes protrudatur, & præſertim ſi panis optimè fermentatus non fuerit.

ludicant etiam pepones longiores, rotũdis eſſe meliores, vt qui magis vrinã ciant, & magis abſtergant: ſunt verò omnes ventrem qui citent. Quibus autem venter magis ſubducitur, ijs minus nocetur. Proditum etiam eſt, quòd Veneris ſtimulos & genitale ſemen minuãt. Pepon verò qui Saracenicus dicitur, frigidus eſt & humidus, vtiliſq; ad ardentes febres, & ad exquiſitas tertianas, & ad ventriculos calidos: frigidis verò ſuopte temperamento, & ſtomacho humidis, admodum noxij ſunt.

ANNOTATIO.

Συχία πέπονα, *Cucumeres maturi dicuntur: quoniam maturi & non crudi eſui apti ſunt, ſicuti cucumeres crudi non maturi, ſed crudi gulæ grati ſunt.*

Πιςάκια, Piſtachia. 11.

PIſtachia, parum nutriũt, calida ſunt & ſicca ſecũda diſtantia, verùm ad iecur roborãdum, & ſuccos in eius viſs infarctos purgandos, vtilia: partici pãt enim ſubamaræ ſubaſtringentisq; qualitatis & aromaticę. Stomacho, quẽ admodum

admodum Galenus ait, nullam aut vtilitatem, aut læsionem insignem afferũt. Recentiores verò medici, ea stomacho vtilia censuerunt. Medentur etiam ijs, qui à venenatis morsi sunt, & sanguinẽ tenuem gignunt, ac crassos glutinososque humores extenuant. Oleum, quod ex pistachijs confectum est, confert pectori, renibus & pulmoni.

Πίσον, Milium. III.

Millium, frigidum prima distantia, siccum verò secunda: male concoquitur & ventrem sistit, parũq; nutrit. Eos iuuat qui refrigeratione & desiccatione ventriculi indigent: sumptum autem cum lacte, vel cum amygdala Thasia, melius concoquitur, & humidius fit.

Πράσον. Porrum. IIII

Porrum, calidum siccumq; est prima distantia, vrinam cit: est verò mali succi, oculorum aciem hebetẽ facit, si frequentius quis eo vescatur. inuehit & turbulenta somnia, & stomacho nocet: semen genitale calfacit, &

capitis dolorem efficit: iecur & renes et veſicam lædit: facit autem ad hæmorrhoidas, bis verò aqua ſi coquatur, & aceto garoq; ac oleo & cumino condiatur, ſalubre eſt ijs, qui frigido ſunt ſtomacho.

πρόβατον, Ouis. v.

OVilla caro, ſuperfluitatum plena eſt maliq; ſucci: melior eſt annicula: quæ verò vetuſtior eſt, & difficulter concoquitur, magisq; mali ſucci eſt: nocet his qui ſtomacho humido ſunt, & pituitoſis.

πέρδιξ, Perdix. vi.

PErdicum caro, bene concoquitur, bonique ſucci eſt, præſertim ſi non ſtatim poſt interitum, ſed poſt diē vel alterum comedatur. Sic enim abijcit quod durum eſt: ſiſtit quidem ventrem, & ſanguinem tenuem gignit, & ſi ſanguinem craſſum cōtingat, extenuat & præſertim alæ, quæ reliquo volucrū corpore facilioris ſunt concoctionis. Prosūt verò ocioſis, inexercitatisq;, ac ijs, qui imbecilliores ſunt, & inualidi: &

qui

qui tenuioris diętæ esse dicuntur, quiq; humido sunt stomacho. Huius autem medulla, si cum vino hauriatur, ictericos sanat. Iecur verò comitiali morbo laborantibus confert. Fel quoque oculorum suffusionibus initio maximè prodest: facit & ad ipsorum hebetudinem. Aiunt etiam si singulis mensibus in salis modo adhibeatur, memoriam facere.

Περιστερὰ, Columba. VII.

PVllorũ colũborũ caro calida est & humida & excrementitia, & pręcipuè domesticorũ, & sanguinẽ moderato crassiorem & calidiorẽ gignit: atq; ideo nonnunquam febres facit, & frigiditate dolentes renes iuuat, seminique & sanguini adijcit, caput verò & oculos lædit. Ferunt etiam, quòd si nimium vsurpetur, lepram gignit. Sunt verò meliores qui vere & autumno, quàm qui æstatis & hyemis tempore nascuntur.

παγούρια, Cancri. VIII.

PAguri ſeu cancri, ſalſum quendam ſuccũ habent, minus tamen quàm cruſta intecta, ventrem nihilominus ſiſtunt, cum in aqua ſalſum ſuccum in coctione dimiſerint. Fluuiatiles verò paguri vtiles ſunt vlceri, quod in pulmone, ſed veſicæ nocent. At doctiſsimus Conſtans, qui vocatus eſt Romanus, ait, quòd ſi fluuiatiles cãcri in oleo coquantur, oleum inde confici valde ſalutiferum, quod inſtillatum auribus, ſanat dolores, qui ex calore facti ſunt: ſuccurrunt etiã iis qui male ſe habẽt ob venenatam potionem, vel venenatorum morſum. Traditum quoq; eſt, quòd ſi exiccati contritiq; abſceſſibus indurati imponãtur, eos emollire: eiiciunt in ſuper ſagittarum cuſpides è corpore.

πέπερι, Piper. IX.

PIper, calidum eſt & ſiccum tertia diſtantia: craſſos & glutinoſos humores incîdit, ventoſitatesq; diſcutit: humiditates quoq; pectoris & pulmonis ac vẽtris diſsipat, ſed renibus obeſt: &

& vuluæ poſt coitum impoſitum, conceptum impedit, ſterilemq; ſimul eo tempore mulierem reddit. Nonnulli tantùm in quarto ordine calefacientiũ ac exiccantium, ipſum poſuerunt.

Πήγανον, Ruta. x.

RVta quæ ſylueſtris eſt, calida eſt & ſicca quarta diſtantia, quæ verò domeſtica eſt, tertia. Incîdit craſſos humores & glutinoſos, & per vrinam euacuat, & ad inflammationes facit, & appetentiam Veneris compeſcit, & generoſe deſiccat. Sylueſtris autem rutæ facultas, feruens eſt & ignita, exulcerandiq; vim habet, & in primis veſicam: qua ex re podagrici, qui medicamentum ex ſylueſtri ruta confectum bibunt, male veſicam afficiunt: qui verò in veſica non læduntur, plurimum iuuantur. Sunt tamen aliqui, qui huic medicamento domeſticam immiſcent potius, quòd minus veſicæ officiat. Facit & ad ventoſas hydropes, & ad anaſarcas. Iuuat & morſus viperæ, & eos qui papaueris ſuccũ, & aconitum bibe-

rint. ſedat & colicos dolores ſi bibatur vel per inferna immittatur. Traditur quoq;, ſi edatur, acutã reddere videndi aciem, & ab id antiqui pictores hanc ſæpius edebant. Quidam & rutæ ſuccum melle commiſcentes, medicamentũ cõficiunt ad oculorum aciem acuendam. Succurrit verò & dyſuriæ cum olea cocta, ſi eo veſica foueatur. Præſentaneũ etiam remedium eſt difficulter ſpiranti bus, ſi cum melle porrigatur. Fit & ſalutifera lethargicis, ſi potetur, vel per inferna immittatur. Eos etiam qui coxendicè laborant ex frigido humore, ſi bibatur, vel cataplaſmatis modo impona tur, ſanat. Podagricis quoq; & genua dolitantibus, ob pituitoſos humores, quàm primum prodeſt, doloresq; ſedat. Cruſtasq; à carbonibus ſuſcitatas, ſi cataplaſma ex ea fiat, cum melle & vua paſſa ſubacta, confeſtim abducit: Inteſtina roborat. Verùm non ſolùm calidítate, ſed naturali proprietate quadã iſchiadicos iuuat. Obſtructiones iecoris & lienis aperit. Oportet verò ruta abſtinere, qui flaua bile laborant: hos enim

enim plus æquo calfacit, & tenuem sanguinem dissipat, crassumq; relinquit, ipsumq; melancholicũ efficit. Fertur etiam quòd si pręgnãs mulier huius succum hauserit, abortietur: & si in dies quindecim folia assumat, idem faciet. Demum si ieiunus quisque ipsam absumpserit, ea die à venenatis non lædetur.

περιστερεὼν ὀρθός, Verbenaca recta. XI.

VErbenaca recta, facit ad capitis dolores & defluentes capillos, si ea illinantur, sedat & dentium dolores, &, si ĩ loco moueantur quatiantúrue, confirmat. Oris etiam vlceribus medetur. Colico dolore vel calculo laborantes eius herbæ decoctum sanat. Qui primùm elephantia, & comitiali morbo tentari incipiunt, pota opitulatur. Itidem & à quotidianis febribus & quartanis: adhæc ischiadicos & podagricos, & vulneribus affectos cataplasmatis modo imposita.

Finis elementi Finis.

Ροιαὶ, Mala Punica. 1.

MAla Punica, frigida ſunt & ſicca. Horum autem quædam dulcia ſunt, quædam acida, quædam miſti ſaporis. Dulcia quidem pectus iuuant ſucciq; boni ſunt, & nonnihil caloris habent. Acida verò vrinam ciunt, & ad morbos flauæ bilis, & ad ventriculi, & iecoris calorem faciunt. Proſunt & plurimum mala Punica ad ingentes ſtomachi morſus qui fiunt propter malignos humores, eorum ſucco videlicet cum polẽta admoto, quemadmodum in cardiacis præcepit Hippocrates. Acini verò ſucco magis adſtringunt. Dulcis Granati quidem ſuccus & acidi ſimul potus, ventrem cit, & flauam euacuat bilem ſine moleſtia, ventriculúm que roborat. Succus autem acidi cum melle oculis illitus, acutum viſum reddit, præcipuè cum vetuſtior factus fuerit. Grana autem acidi Punici ſimul cum aliquo alimento oblata, vehementem vomitum ſæpe compeſcunt, iecoriſq; inflammationes, ex vinolentia ortas, ſedant. Omnia verò

mala

mala Punica Venereos impetus reprimunt, eorumq; inprimis, qui temperatura frigidi sunt.

Ῥοδάκινα, Persica. II.

PErsica, quidam in tertio ordine refrigerantium humectantiumq; posuerunt: alij in primo, alij in secundo, quod exactius factum est. Pituitosum humorem gignunt, & ægrè concoquuntur, & celeriter in ventriculo corrumpũtur: propterea qui crebrius ad satietatem his vtuntur, febre corripiuntur. Lædunt & neruos proprietate quadam. Oportet verò hæc ante cetera cibaria assumere, & super his meracum bibere. Quæ ex his matura sunt, ventrem ciunt, quæ immatura, contra sistunt, eoq; amplius sicca: foliorum verò succus si bibatur, lumbricos ventris perimit: itidem facit, si super vmbilicũ cum foliis ponatur. Suscitant quoq; ciborum appetentiam rhodacina: prosunt & inflammato ventriculo, & genitali semini adijciunt. Sanguini tamen serosum quid putredini obnoxium, præ-

parant: sæpiusq; post vnum vel alterũ mensem ob putredinem febres gignũt non quales fiunt ex ijs quæ Armeniaca dicuntur: illa etenim breuiores, & quæ facilè soluuntur, febres faciunt: hæc verò longiores & quæ difficulter soluantur: illud etiam obseruare oportet, ne super hæc aqua bibatur, vel cibaria acida super ingerantur.

Ῥάφανις, Radicula. III.

RAdicula, tertia distantia calfacit, siccat verò secunda. Quatenus autem ex ijs, quæ dixit Galenus, conijcere licet, Prisci sine pane radiculas edebant, veluti hoc tempore daucion. Ait enim quòd crudam radiculam per vrbes homines comedebant ante cetera cibaria, alui gratia subducendæ. In agris verò etiam cum pane sæpius assumebant: miraturq; nonnullos post cœnam eas sumere solitos esse, bonæ concoctionis gratia, cum cruditatem agere aptæ maximè sint, alimentum ad superiorem ventris regionem deducentes.

tes. Vídentur verò contrarij inter ſe his verbis cũ tamen non ſint: ſi quis accuratè vẽtriculi diuerſos affectus ſpectet: in quib. enim vẽtriculus facilè ſubducitur & flatibus caret, ísque eſt in quo cibus minimè ſupernatat, íjs dandę ſunt ante cibum radiculæ. Si verò ventriculus infletur & ſupernatet cibus, difficilémque aluum eſſe contingat, his proferendæ ſunt poſt cibum. Sunt verò radices facilis corruptionis, atque ideo grauiter olentes ructus efficiunt. Par eſt igitur íjs abſtinere, qui poſt earum eſum fœtidè eructant, quando hæc & reliqua cibaria ſecum vnà corrumpunt. Habent autem acrem ac tenuem qualitatem & extenuantem: quibus rebus ſcindunt, abſumúntque pituitam. Inflant etiam os ventriculi: nocẽt & dentibus ac aſperę arteriæ, vocémque raucam faciunt: & quadam proprietate articulari morbo laborantibus, dolorem intendunt. Sunt verò diureticæ. Scribit adhæc Diaſcorides quòd ſenſus magis exquiſitos reddunt. Indi autem aiunt radiculas

ingenium ac induſtriam homini efficere. Dicitur etiam quòd earum decoctū vim aperiendi habet: & idcirco ſæpe morbo regio affectis medetur, itemq; iecoris obſtructione, & renum & veſicæ laborantibus. Adhæc & pleriſq; acrem videndi aciem comparauit. Harum quoq; ſuccus cum roſaceo calefactus & in aures inſtillatus, audiendi grauitatem ſanat: at ſi cocte porrigãtur, hę morrhoidas ſiſtunt. Proſunt & hypocondriis peculiari quadam proprietate, ante cibum ſumptæ: cum melle verò & ad tuſſes & dyſpnœam faciunt. Harum etiam folia lienis vitijs ſuccurrunt: nonnulli quoq; cum oxymellite propinant vomendi gratia, multamq; educunt pituitam. Quare à febre quotidiana & quartana ſæpe liberati ſunt. Proditum quoq; eſt quòd radicularum ſuccus, ſcorpiones interimit, ſi ſuper eos inſpergatur: quódq; ſi quis eum hauriat tutus eo die ab eius morſu ſit: inſuper ſi quis eodẽ ipſo ſucco radiculæ diligẽter manus perungat, & perfricet, innoxius venenoſos ſerpentes tractabit.

Ρόδον

Ῥόδου, Rosa. IIII.

ROsa, frigida est & sicca, ex astringente & amara qualitate composita. Odorata calidis capitib. prodest, & frigidis obest, eaq; distillationi obnoxia facit: sumpta verò febres, quæ ex flaua bile contractæ sunt, sanat. Stomachum roborat & iecur, sed proprietate quadam testes lædit: acres exhalationes reprimit, ne caput impetant.

P elementi Finis.

Σῦκα, Fici. I.

FIci, prima distantia calefaciunt intẽsa, desiccant verò media prima, nutriuntq; abundè: non quidem compactam & robustam efficiunt carnem, vt panis & caro, sed mollem & laxam, simulq; vento ventriculum complent, nisi probè concoquantur. Minus autẽ quàm ceteri fructus ὀπώρας appellati mali succi sunt, ventrem ciunt, & facilè permeant, satisq; abstergunt, & perinde si à nephriticis edantur, multas hare nulas educũt, Cum autem maturi sunt,

nihil propemodum omnino lædunt, quomodo nec caricæ, quæ multiplicē quidem vtilitatem habent. Malum hoc tantùm in illis eſt, quòd ſanguinem no valde bonum gignunt, vuele & pediculi gignuntur. Vtiq; poſt hos, cibi, qui extenuent, ingerantur. Galenus, vti ipſe ait, cum frequentius ob fructuum eſum, quos Græci ὀπώρας dicunt, langueret, ab octauo & vigeſimo anno ad ſenectam vſque, ab hiſce abſtinuit, ficisque tantùm & vuis vtebatur, neq; his immodicé. Ait etiam quòd quicunque amicorum ſuæ paruêre admonitioni, vti ab huiuſcemodi fructibus abſtinerent, ſine morbis fuiſſe. Adhæc, fici pectus & pulmonem iuuant: aiunt inſuper contra venena medicamentum ficos eſſe, eos ſingulis diebus ieiunus ſi quis ſumat.

Σπάρτος, Geniſta. II.

GEniſta, qua vites ligant, huius ſemen & flos ſi cum aqua mulſa bibatur obolorum quinq; pondere ſuperne purgat, vt veratrum albū

&

& citra periculum: semen verò inferne etiam purgat. Eius item virgulæ coxendicibus prosunt.

Στοιχὰς, Stœchas. III.

STœchas aperit, attenuat, abstergit intestina omnia, omnemq́ animalis habitum roborat.

Σταφυλαί, Vuæ. IIII.

VVæ maturæ, calidæ sunt & humidæ in prima distantia, magisq́ nutriunt quàm ceteri fructus ὀπώραι à Græcis appellati, minus tamen q̃ fici neq́ mali succi sunt si maturę exactè fuerint: non his robusta tamen nec densa caro gignitur sed laxa & flaccida. Maximum quidem harũ bonum est, ait Galenus, quòd celeriter deorsum concedant, atq́ ideo si retineãtur, obsunt. Neque enim tunc probè concoquũtur, sed crudum gignunt succũ, qui nec in sanguinem, facilè transmutatur. Acinorum verò natura, arida est, & quodammodo adstringens: idcirco non alterati, omnia pertranseunt intestina.

Quæ autem ſuſpenſæ & penſiles ſunt vuæ, neq; ſiſtunt ventrem neq; proritant: ceteris verò melius concoquuntur. Neq; vuarum parua eſt differentia: aliæ ſiquidem dulces, aliæ auſteræ, aliæ acidæ. Dulces quidem, calidiorem habent ſuccum: Auſteræ verò & acidæ frigidiorem: aluum ſubducunt dulces, & tum inprimis cum fuerint humidæ. Omnium certè vſus tutiſsimus eſt, quoties carnoſæ fuerint, atq; maturę, ſi quis moderatè ijs vtatur. Sunt nonnullæ inter vuas, quæ cum planè exactam in vite maturitatem adeptæ non ſint, ſi ſuſpendantur, reliquum concoctionis & maturitatis acquirunt ac dulces reddantur. Vuæ, quæ albæ ſunt, magis ventrem ciunt, quàm nigræ: omnes verò cibationum appetentiam ſuſcitant, & ventrem. Ex quatuor certè conſtãt partibus, ex membrana, quæ frigida eſt & ſicca, & difficilis concoctionis, & ex ea quæ veluti eidẽ eſt caro, & ex humiditate quę per carnem eſt diſperſa, adhęc & ex acinis: conuenit verò, cum edũtur vuæ, mẽbranas & acinos expuere, quoniam

niam cum difficultate conficiũtur: quæ verò nondum exactè maturæ, frigidæ ſunt & ſiccæ, ventremq; ſiſtunt, & ſtomacho bonæ: ſed & caliditatem flauæ bilis ſedãt, minusq; nutriunt, harumq; ſuccus inueteratus, & cum rhodoſtagmate poſt coctionem hauſtus, ſuccurrit his qui cibaria in ventriculo non retinent & nauſeantibus. Par verò eſt, nõ vuas ſed & reliquos fructus, ὀπωρικά, vocatos, ac præſertim humidos, ante reliqua cibaria ſumere.

Σταφίς, Vuæ paſſæ. v.

VVæ paſſæ, ceteris vuis calidiores ſunt: Meliores autem ſunt pingues, magis quę; corticẽ tenuiorem habent, magisq; dulces. Hæ etenim magis quàm reliquæ vuæ nutriũt. Participes ſunt facultatis concoquentis ſimul & adſtringentis ac diſcutientis, cum mediocritate quadam, eandémque fermè proportionem habẽt ad ceteras vuas, quàm recentes caricæ ad ficos. Et quæ quidem dulciores ſunt, calidiores quoq;, quæq; magis auſteræ,

frigidiores, quæ & ſtomachum robo-
rant, ventremq; ſiſtunt. Mediam verò
quodammodo conſiſtentiam dulces ſa
ciunt: nam ſtomachum neq; manifeſtè
exoluunt, neq; ventrem ſubducunt.
vim etiam detergendi habent. Sed mi-
nus quàm caricæ, vim ſubducendi &
detergendi indicant, & meliores quàm
caricæ ſtomacho ſunt: pectus & pulmo
nem iuuant, iecur & lienem corrobo-
rant, ſi cum acinis edantur. Inteſtinis o-
pem ferunt: ſatius autem ſi acini ex-
puantur, propter id quod in eis eſt ter-
renum, & durum. Vim verò addunt
medicamentis purgantibus peculiari
quadam proprietate. Illud etiam eſt à
quodã medico proditum quòd ſi quis
velit pituitam in ſuo corpore minuere,
& ſanguinem augere, comedat ieiunus
per ſex dies drachmas ſeptem pinguis
uuæ paſſæ. Aegyptij præterea vinum
conficiunt ex paſſis & melle, quod vi-
num Solis nuncupant, quod guſtu val-
de ſuaue eſt.

Σάκχαρον

Σάκχαρον, Saccharon. VI.

SAccharon, calidum est & humidū prima distantia, abstergit, vrinámque mouet veluti mel, nisi quòd sitim vt mel non facit, nec stomachum mordicat: ventrem cit, iuuat pectus, renes & vesicam. Medici verò, qui censent frigidum esse, hallucinantur. Vidi enim ego in calidis vētriculis ipsum bilem effectum esse. Est autem saccharon quod vetustum, quàm recens melius: nam tenuium partium magis fit, & calidius, nisi quòd capitis dolorem facit: in aqua verò resolutum, aquæ frigiditatē susci pit, & refrigerat: suffitum autem odoratumq́, capitis fluxiones iuuat.

Σέλινον, Apium. VII.

APium, calidum est secunda distantia intensa, siccum verò in medio tertię. Lotium cit, aperit, non inflat. Quinimo vētos discutit menses q́ educit, sed difficulter concoquitur atq́ ideo oportet inter media cibaria sumi: nā aliquatenus ventrē sistit, & quidē peculiari qualitate comitiales lędit. quare hi ob hoc omnino abstineāt, multoties enim nonnullos, cū antea sani essent aq́

huiuſcemodi tamen morbum procliues, eius vſus comitiales effecit: teſtes etiam lædit. Semen autem quàm folia melius eſt, & efficacius, & eo radix eius. Facit inſuper & ad ſingultus, qui de craſſis humoribus & ſuperfluitatibus proficiſcuntur. Renes ad hæc & veſicã abſtergit venarumq; & arteriarum obſtructiones aperit. Semen ſi præſumatur, ebrietatem auertit, & apium ad bonum corporis odorem confert: multiq; crebriore huius vſu, malũ corporis odorem abigerunt. Mulieres autem ad rem Veneream promptiores facit. Si verò in huius decocto calculoſi decidant, & infundantur calculi, ſicuti dicunt, decidunt, eiiciunturq;. Lotij etiam difficultatem ſanat & renes curat. Lactantes ab huius vſu abſtineant, quoniam lac ipſum imminuit. Succus verò huius ſumptus, ad quotidianarum febrium rigores facit. Agreſte verò, medicamenti vim habet contra venena.

Σεύτλον

Σεῦτλον, Beta. VIII.

BEta, calida eſt & ſicca in prima diſtantia, ſuccus autem eius modicè abſtergit, ventremq; ad excernendum proritat: ſed ſtomachum quandò que mordicat: præſertim eorum qui valde eum ſenſilem habent: quare hoc edulium ſtomacho idoneum non eſt, præſertim ſi in largiore ſit vſu: exiguum eſt eius nutrimentum, ſicuti ceterorum olerum. Commoda eſt autem ad iecoris obſtructiones, ſi cum aceto ſumatur. Pari ratione, & lienoſis bonũ eſt medicamentum. Conſtat verò beta ex contrarijs facultatibus, eius etenim ſuccus calidus eſt, & ventris ſubductiuus, & ſiticuloſus: corpus craſſum eſt, flatuoſũ & concoctu difficile, & frigidum: & ventrem ſiſtit. Proinde bis coctæ, & aqua, in qua coquitur, permutata ventrem ſiſtit: quoniam nitroſam qualitatem abijcit.

Σευτλόριζον, Betæ radix. IX.

BEtę radix, pituitam gignit, & craſſarum eſt partium, difficulterq; eon coquitur, & flatuoſa eſt, ventrẽ prori

tat:hanc si quis comburat & melle subigat,eoq; caput illinat,eius qui calueſcere incipiat,relictos continet capillos.

Σηπία, Sepia. X.

SEpia,difficilis est concoctionis parumq; in se continet salsi succi: quæ si bene concoquatur,satis nutrimenti corpori affert, gignit tamen crudum succum:eam ob causam oportet ipsam cum condimentis acrioribus admouere, vinumq; post vetus & tenue potare. Traditum est, si quis lucernæ papyrum in sepiæ atramento, & æris ærugine intinxerit,homines circumstantes videri partim æreos, partim nigros, propter mistarum rerum inspersionem.

Συάκιον, Porculus. XI.

PORculus, non est mali succi, atq; in primis cum concoquitur:nutrit enim quãtum satis:qui suopte temperamento calidi, sunt eo iuuantur:huius caro persimilis est gallinarum carni: neque enim durior est neque mollior

ac

ac laxior, ſed mediocritatem quandam habet, ſuauitatemq́, & propterea vim ac robur corpori comparat, ſanguinemq́ temperato proximum gignit.

ANNOTATIO.

Huius porculi naturam & effigiem nondum exactè cognoui, quanuis cum Græcis piſcatoribus verſatus ſim, & ferè omnia reuentiorum volumina legerim.

Σήσαμον, Siſama. XII.

SIſama, calida ſunt principio primę diſtantiæ, humida verò eius parte vltima & propter oleoſam ſuſtantiam, quæ in eis eſt, edentes replent, ſatiantq́: ſtomachum confeſtim ſubuertunt, ſeriusq́ concoquuntur, pinguiúsque corpori alimentum exhibent, ſitimq́ faciunt, & ſi quid eorum inter dentes remãſerit, malum oris odorem efficiunt, mulierum menſes ciunt, inteſtina lędunt, ſi ſine menſura ſumantur, in iecore & liene obſtructiones faciunt.

Σκόροδα, Allia. XIII.

ALlium, in medio quartæ diſtantię calidum & ſiccum eſt: commodum verò his maximè eſt qui craſſum & viſcoſum vel crudũ ſuccum coegerunt: nam eum amolitur, & incîdit. Habet verò quippiam mali ſucci, quod decoctum aqua, abſtergit, ſæpeq; temperaturas frigidas, ſanas conſeruat: at verò calida temperatura præditos, lædit, & præſertim eorum oculos & caput, & pulmonem & renes. Peculiari verò quadam proprietate ſitim, quæ de ſalſo humore creſcit, ſedat, tineasq; eiſcit, & lũbricos, ventos diſcutit: ſanam oculorũ aciem & ſi lædit, nihilominus humiditate hebetatam ſanat. Semen genitale in corporibus calidis deſiccat, in frigidis verò & humidis calefacit, ventremque mouet. Eſt quoq; antipharmacum & remedium contra venena, & venenatorum morſus: veluti fermè theriaca, vnde & theriacam agreſtium hominũ & ruſticorum, vocat ipſum Galenus. Fugiunt & ipſum ſerpentes, quemadmodum & rutam. Ea propter per ſe coquinas

nas ſuas olim allijs replebant. Fertur autem quòd ſi duo venenum ſumpſerint minus periclitaturum, qui allium comederit, quàm qui non comederit. Hoc idem fieri accidit, ſi duo à feris venenũ eiaculantibus, morſi fuerint. Vnde manifeſtum eſt ex his ſimilitudinem quandam caloris in allio eſſe, ei qui nobis ineſt naturaliter, & ideo eum ſuſcitat, ſoli dasq; particulas roborat: adeò vt quod eas lædat extinguat & pellat. Verùm non ſolùm ventos diſcutit, ſed & ne fiant, prohibet: & ventoſas colicas diſpoſitiones, & diutinos coxendicum dolores, qui à pituita proueniũt, iuuat, nutrimentum & ſanguinem attenuat, faciemq; rubificat, ac arteriam aſperam purgat. Si autem aſſetur, corroſisq; dentibus admoueatur, vel propter humiditatem dolentibus, prodeſt. At ſi cum melle frangatur, capitiſq; vlceribus humidis adhibeatur, ſanat, & ad articulorum dolores ex pituita, & tuſſes, & ad alphos, & lepras proficit. Non ſolùm verò ſumptum ad venenatorum morſus facit, vt prædiximus, ſed etiam tritũ

& ſuperpoſitum. Ceterùm, vt dicitur, viſui haud expedit, pulmonisq; vlceribus vtile eſt, nec non vrinæ ſtillicidio. Verumtamen voci & hęmorrhoidibus teneſmisq; ac ſtrumis & febri hecticæ aduerſatur: prægnantes quoq; & lactãtes lædit, mulierumq; menſes educit.

Σίναπι, Sinapi. XIIII.

SInapi, calidum eſt & ſiccum media parte quartę diſtantię. Vim habet diſſoluendi diſcutiẽdiq; humiditates, quæ in capite & ſtomacho exiſtũt. Confert etiam morbis lienis, qui ab humiditate & flatu facti ſunt: itẽ quartanis qui ex aduſta pituita contracti ſunt: ad hæc & podagris pituitoſis: officit verò viſui & capiti calido, item calido iecori: concoctioni confert, diſtributioniq; craſſiorum cibariorum: liquefacit etiam, quæ in ventriculo ſunt, humiditates, & ſi ex eo cataplaſma fiat, lepras in melius mutat. Linguas etiam ex humiditate grauatas exiccat: &, ſi cum melle ſumatur, tuſſes iuuat. Cum caricis verò cataplaſmatis modo impoſitum

tũ, iſchiadicos ſanat. Eſt & lienoſis vtile: trahit enim quæ intus ſunt ad corporis ſuperficiem. Suffitum verò, ſerpentes fugat.

Σ elementi Finis.

Τύρος, id eſt Caſeus.

CAſei omnes, mali, nam difficulter concoquuntur, & acidum ructum faciunt, ventriculumq; flatibus replent, maleq; permeant. Sunt & pituitoſi & ventriculum vehementer calefaciunt. Suſcipiunt enim à coagulo acredinem: inueteratus verò caſeus, acrior & calidior feruidiórque fit, concoctúque difficilior, ſuccíque peioris, & in renibus calculos gignit, éſtque plurimum noxius. Oſtenſum enim eſt, calculos generari, vbi ſuccorum craſsities cum caliditate coniuncta fuerit. Quare hic caſeus fugiatur cum nihil omnino boni habeat, quod ad concoctionem faciat, nec ad diſtributionem, nec ad miſtionem, vel ventris ſubductionem, nec ad bonum

ſuccum. Minus vtiq; malus eſt, qui vetus nō eſt, nec acris: melior verò recēs: medius nāq; eſt inter veterem caſeum, & lac ipſum, atq; ideo & melius concoquitur quàm vetus, & melioris eſt ſucci & inprimis ſi mollis eſt ac laxus, nec vllam qualitatem habens vehementem, ſed dulcem ſupra alias parum eminentem, ſalisq; modici eſt. Conuenit verò vt cum melle apponatur quoniam ita citò diſtribuitur, præſertim ab his qui frigida temperatura ſunt præditi. Caſeus autem vetuſtiſsimus, qui omnem dulcedinem amiſit, ac propter humoris defectum, qui ipſius partes continebat, admodum friabilis factus eſt, peſſimus eſt: qui verò ſpongioſus & rarus eſt & ſuauis, melior ceteris eſt: & præſertim ſi recentior fuerit, quales ſunt qui ex Paphlagonia afferuntur. Caſeus enim recens, ventrem mouet: vetuſtus autem, ſiſtit, præſertim ſi poſtquàm aqua decoctus fuerit, aſſetur.

Τυρὸς,

Ταὼς, Pauo. III.

PAuonum caro, fibrosa, & excremẽtitia, & difficilis concoctionis & mali succi est. Ferunt pauonis ius quadam peculiari proprietate, pleureticos sanare: præsertim si pingue sit. Pauonis adeps cum rutæ succo & melle, affectus colicos ex humore frigido factos optimè iuuat: eius autem ossa adusta, & in aceto trita & illita, ad alphos & lepras confert.

Τάρχον, Tarchon. III.

TArchon, calidum & siccum est secunda distantia, difficile concoctu, propterea quòd eius corpus terrestrem habet naturam, quam rem quidam intuentes, eum frigidum dixere. Est autem flatuosum nec bono succo præditum: ideoq; eius tantùm folia exhibenda sunt cum mentha vel apio. Facit verò ructus, & supernatat in ore ventriculi. Est & antipharmacum ad venenatorum morsus desumptus: commouet tamen capitis dolorem, & facit torporẽ in sensu gustus: atq; ideo me-

dici præmonent præcipiuntq́, vt hoc porrigatur ante cathartici medicamenti hauſtum, ne modum potionis faſtidium ſentiatur.

ANNOTATIO.

An Tharcon, pyrethrum vel dragon ſit, nondum exactè noui.

Τετράγγερα, Tetrangura IIII.

QVę verè tetrangura dicuntur, frigida & humida ſunt ſecunda diſtantia intenſa. Quidam hęc in tertia poſuerunt: pituitam viſcoſam in ventriculo gignunt, quæ cruda per venas diſtribuitur: propterea his qui crebrius tetranguris vtuntur temporis ſpatio in venis & alijs corporis concauitatibus humores congregantur: qui diutinas & longas febres creant. Horum verò ſemen, lotium cit, ſed minus quàm peponum ſemen: tetrangura nãque quàm celerrimè in ventriculo corrumpuntur: verùm in his meliora ſunt, quæ non magnum ſemen habent. Calidos autem & aridos ſtomachos iuuant. & ſi in

& si in ardenti febre, cũ aceto porrigantur, valde prosunt. Propriũ verò horũ est nauseas calore vẽtriculi suscitatas sedare. Horũ quidem interiora absumere & esse oportet: nam quæ foris sunt, mali succi sunt & male concoquuntur & ferè venenata. Habent & alias proprietates, quòd deficientes animo caloris excessu restituunt. Si verò pituitæ in ventriculo existenti occurrant, nauseas faciunt, & colicas dispositiones, & hypochondriacos affectus.

ANNOTATIO.

Simon non de crudis cucumeribus, sed de angurijs loquitur, vt in α elemento patet: in quo de crudis cucumeribus egit.

T elementi Finis.

Υδρα, Tubera. I.

TVbera, frigida sunt secunda distãtia. Humorem crudum gignunt, maliq; sũt succi: permulti verò horũ nimio vsu in colicas dispositiones &

epilepſiam,& apoplexiam inciderunt; oportet ergo antequ coquantur accurate diligenterq; curare, aquaq; per aliquot horas madefacere,mox ſale,origano,rutaq; in aqua coquere, cocta condire oleo, ſatureia, pipere, & garo. Horum frequẽtior & nimius vſus, colicos inducit morbos, & concoctionis defectum: ſicca autem ſi edantur,nocentiora ſunt difficilioriſq; concoctionis.

Υσκα, Hyſca. II.

PIſcis,qui cõmuni lingua Hyſca vocatur,pituitoſum gignit humorem maliq; ſucci eſt: ab omnibus fermẽ libenter aſſumitur,tanquam carnem habens noſtræ naturæ conſentaneã. Exiſtimarim ideo quoq; nomẽ ſortitũ eſſe ἀπὸ τῶ ὗς, hoc eſt à porco: quòd videlicet corpori noſtro eiuſmodi nutrimentum afferat inter piſces, cuiuſmodi inter terreſtria caro porcina, illi quidem non vndequaq; ſimile,ſed proprietate quadam reſpondens. Oportet autem ipſum condire calidis condimentis,vinumq; ſuperbibere, quod tenuiſsimũ ſit,& vetuſtiſsimum.

ANNO-

ANNOTATIO.

Quid ſit hic piſcis haud diuinare potui quanuis antiquos & recentiores legerim.

Ὑδρόσατον, Hydroſatum. III.

HYdroſatum, frigidum eſt, & ventriculum roborat, ob eam quam habet ex roſa adſtringendi vim: confert qui temperamento ſunt calido & ſitim ſedat: & qui in febre pro vino vtuntur, maximam ſentiunt vtilitatem.

ANNOTATIO.

Huius compoſitionem apud Nicolaum & Paulum Aeginetam legere poteris.

Ὑδωρ, Aqua. IIII.

AQuarum ſpecies vniuerſales, ſunt quinq, pluuialis, fontana, putealis, fluuiatilis, lacuſtris, quarum tenuiſsima eſt pluuialis, quę facillimè mutatur. Febri verò & cholerę & morbo regio affectis, minimè conuenit: facilè nanq excernitur & in bilem conuertitur. Si verò per tempus aſſeruata ſit, tardioris eſt trāſitus & difficilius permeat & diſtillationes gignit, præſertim ſi frigida potetur. Fontanæ verò quæcunq

à Sole auerſæ, è ſaxis erumpentes ad ſeptentrionem deriuant: tardè permeant, tardeq; calefiunt & refrigerantur. Quarum autem fontes ab æſtiuo ortu & occaſu hyberno meridiẽ verſus currunt, probę ſunt. Putealis quidem aqua frigida eſt, & vix diſtribuitur, & terreſtris eſt, propterea his qui æſtuoſo ſunt ſtomacho, & ventre prodeſt, magis q; fontana. Fluuiales verò, & lacuſtres cũctæ malæ ſunt: præter Nili aquam, quæ ſuauis eſt & optima pota, moderateq; in ventriculo moratur, nec ſiticuloſa eſt, nec, ſi perfrigida potetur, moleſtat, & concoctioni diſtributioniq; opitulatur. Ceterorum verò fluuiorum aqua difficulter conficitur, ſiticuloſaq; eſt, præſertim ſi mala loca pererret. Meliores autem ſunt fluuij, qui à fontibus perennibus fluunt, quiq; alijs fluuijs non permiſcentur. Lacuſtris verò aqua ob quietem & immobilitatem ferè mortua eſt: ideo ſi alia aqua non deerit, infirmis nunquam exhibenda eſt. Aquæ verò quæ adſtringendi vim habent, vel ſalſuginoſam, vel eiuſmodi aliam quali

qualitatem, vel tetri odoris ſunt, vel quæ noxia gignunt animalia, vel in metallis prouenſunt, vel thermis propinquę ſunt, malæ omnes & reprobandæ: in vniuerſum verò, omnis aqua tardi tranſitus, difficilis concoctu, inflans, diſtillationis creatrix, & præſertim frigida: calidis temperaturis, & ardentibus febribus vtilis admodum eſt, quæ autem leuior eſt, non pondere cognoſcitur, ſed quæ citius calefit, & refrigeratur, & quæ pura eſt & limpida, & quæ in hac re nullam contrariam qualitatem oſtendit. At quæ ex niue & glacie colliquantur, peſsimæ ſunt: mutationes etiam aquarum & præſertim fluuiorum lædunt, malis autem temperaturis calidis nihil ęquè vtile eſt, quàm aqua. Quæ verò non limpida eſt aqua, coquatur & frigida bibatur.

Y elementi Finis.

φοίνικες, Palmulæ. I.

PAlmulæ, calidæ ſunt ſecundæ diſtãtia, humidæ autem prima, & difficilis concoctionis ſunt, capitiſq; dolorem afferunt, ſi plus iuſto edantur, quędam etiam mordicationem ori vẽtriculi faciũt, magisq; capitis dolorem. Qui verò ex ipſis ſuccus in corpus diſtribuitur, craſſus eſt & nonnihil habet glutinoſi, quando ſcilicet palmula pinguis eſt: cum verò quod craſſum eſt & glutinoſum, cum dulci commiſtum eſt confeſtim ab eodem iecur obſtruitur. Quòd ſi inflammatione & duritie affectum fuerit: quàm plurimum ab harũ eſu lædítur. Poſt iecur verò lien etiam obſtruitur læditurq; : multóque magis nocent palmulæ recentes ſeu virides omnibus iam dictis: adhæc inflatione ventriculum complent, crudum quoq; humorem, & rigorem difficulter incalentem gignunt. Palmulæ autem omnes gingiuis dentibusq; noxiæ. Sedenim reliquis meliores ſunt, quæ cum aliqua vi adſtringendi, aliqua etiam duritie

tie cõſtant, vnà cum modica dulcedine, & non valde mellea. Quæ verò in frigidis regionibus naſcuntur, peſsimę ſunt: quoniam non matureſcunt, & noxas cum rigore febrili inferunt, morboſque & quàmplurimas obſtructiones: meliores autem quàm rubręgiluę ſunt: quę verò auſterę ſunt, calidę ſunt prima diſtantia, ſiccę autem ſecunda: neq; enim paruum inter palmulas eſt diſcrimen: nam aliquę ſiccę ſunt & adſtringentes, vt Aegyptię, quędam molles & humidę ac dulces, vt quę in Bactris naſcuntur, mediæ verò inter has ſunt reliquę: qui ex omnibus ſanguis gignitur turbulẽtus eſt. Scribit Rufus, quòd aſsi duus harum vſus veſicam explet, & cũ nucleis pineis aſſumptę, fauces leniunt bonumq; corporis habitum conferunt preſertim ſi frigidum eſt temperamentum: oportet autẽ ab his abſtinere qui facilè obſtructionibus capiuntur, & anginis & lippitudinibus, & dentium doloribus.

φάβαξον ἤτοι κύαμον, ſcilicet

Faba. 11.

FAbæ, ſiccæ quidem, aridæ & frigidæ ſunt in prima diſtantia: virides verò ac recentes frigidæ ſunt & humidæ, carnémque gignunt non aſtrictam, neque denſam, ſed mollem & laxam. Flatuoſæ ſunt & ſenſum alicuius tenſionis velut à ſpiritu flatulento in vniuerſo corpore iſs qui animum attendunt præbent & præſertim cum quis non aſſuetus his veſcitur: decoctæ verò, poſtquàm de cortice extractæ fuerint, non parum de inflatione deponunt & aliquatenus abſtergunt. Harum autem farina, ſordes corporis abſtergit, atque ideo non multum in ventriculo morantur, vti faciunt ceteri ſucci craſsi glutinoſique. Recentes quidem fabæ, ſi edantur, communem reliquorum fructuum naturã obtinent, quos nõdum exactè maturos aſſumimus: humidius enim alimentum corpori præbent non inteſtinis modò ſed in toto etiam habitu: ſanguinem

vtiq;

vtiq; non malum gignunt, vt Galenus ait, neq; obstruunt. Cumq; ceteralegumina partes superiores uentriculi magis inflãt fabę inferiores magis. Capitis grauitatẽ, & lassitudinis sensum in corpore faciũt. Decoctum fabarum, si hauriatur, pectus lenit, sed cum aceto sumptum ventrem sistit. Recentiores medici malum succum habere fabas arbitrati sunt, hac coniectura ducti, quòd bestiolas quasdam gignant, quæ omnino ex putredine & stercore, ac sordidis quibusdã humiditatibus nascantur. Qui autem huiuscemodi opinionẽ defendẽdam susceperẽ, hac etiam ratione illam corroborant, quòd non solùm in cibo sumptę fabę ratiotinationẽ pertur bẽt, sed & eorũ qui diutius in locis, vbi plurimæ nascũtur, versantur, mentẽ hebetẽ obtusamq; reddãt, ea videlicet de causa, quoniã mali vapores, & ferè pestilẽtes ex his in ambientem aerẽ distri buuntur, qui continuè inspiratus, cerebri temperaturã subuertit, qua subuersa, rationales quoq; facultates hebetes fiunt. Aiunt etiam ob earum malum

ſuccum inſomnia turbulenta, & non vera facere: atq; ob has cauſas Pythagoreos à fabis abſtinere, tametſi multi diuerſas cauſas afferunt, cur ab his abſtinerent: de quibus hoc loco minimè diſſerendum eſt. Ferunt etiam harum decoctũ, pectus lenire, calculosq; in renibus & veſica, ne gignantur prohibere. Item proprietate quadam fluxiones à capite in pectus ne defluant auertere, quę tuſſes vehementes ſuſcitarent. Galenus vticq; has ait, tanquam non mali ſucci ſint, nec obſtruant, ſanitatem conſeruare. Sunt prętera qui ſcribunt, ſi fabę coquantur, pedibusq; imponantur horum dolores abundè ſedare.

φακὴ, Lens. III.

LEns, frigida eſt prima diſtãtia, ſicca verò ſecunda, craſſum autem ſuccum habet, vimq; & qualitatẽ auſteram. Si quis ergo in aqua coquat, & aquam cum oleo, & ſireo, & ſale miſceat, potionem, quę ventrem ſubducat, faciet. Si verò his coquatur, ventriculum & ipſius fluxiones ſiccat. Robur autem

autem ſtomacho inducit & inteſtinis, & vniuerſo ventri, & ideo vtilis cibus eſt cœliacis, & dyſentericis: quæ verò ſine cortice eſt, robur adſtringendi abijcit, ſed magis nutrit, quàm cortice intecta tardeq; permeat, & craſsi ſucci eſt, non tamen adeò ſiccat, vt ante dixi: qui verò hac crebro veſcuntur, elephantẽ morbum, quem vocant, contrahunt, & cancros & ſcirrhos, & neruorum dolores, & (vt ſummatim dicã) melancholicos affectus & morbos. Aptus enim eſt craſſus & ſiccus ſanguis, melancholicus fieri ſuccus. Quibus igitur aquoſa quædam κακοχία in carnibus adeſt: his duntaxat vtilis eſt cibus, vt aridis & ſqualentibus maximè noxius eſt. Eodẽ pacto ſanam oculorum aciem, nimio plus ſiccando, hebetat: eam verò, quæ contrario modo ſe habet, ſanat. Neque etiam vtilis eſt ad purgationes mẽſtruas, quoniam craſſum ac difficulter fluẽtem ſanguinẽ gignit. Adhæc Veneris appetentiam reſcindit, quia ſemen genitale extinguit: atq; ideo caſtè viuere volentibus maximè conuenit: facit &

mala & difficilia insomnia, propter melancholicos, qui ex ea distribuuntur, humores. Si verò cum mentha coquatur, plurimum inflationis abijcit: nonnulli & betam huius rei gratia injiciunt, eo quo decoquuntur tempore. Lens verò probè decocta & trita, si super vulnera, quæ iaculo vel sagitta facta sunt, imponatur, sanguinis fluxũ rescindit. Paruæ verò & minoris lenticulæ decoctum si sumatur, difficultatem partus soluit, vt etiam si in auribus instilletur, earum purulentiam iuuat.

φασίολοι, Phaseli. IIII.

PHaseli, calidi sunt & humidi prima distantia, qui verò inter eos magis rubri sunt, calidiores. Horum autem humiditas inde deprehenditur, quòd facilè putrescant: succum autem crassum procreant & pituitosum, medijq; sunt (vt scribit Galenus) inter concoctu facilia, & difficilia, tardè permeantia, & celeriter flatus expertia & flatulenta, parum & multum nutrientia. Si ante cetera cibaria edantur cum sy-

reo

reo aluum ciunt. Cum ſynapi ſi ſumantur, multum noxæ deponunt. Verum enimuerō qui albi ſunt phaſeli, craſſiores ſunt, & difficilius concoquuntur, magisq; humidi ſunt quàm rubri, & peculiari quadam proprietate turbulenta inſomnia faciunt: ſed ad bonam corporis habitudinem conferunt, vrinámque ciunt. Horum quoque decoctum menſes prouocat.

φασιανοί, Phaſiani. V.

PHaſiani, facilè concoquuntur, boni que ſucci ſunt, & bonum ſanguinē gignunt, &, vt ſemel dicam, quoad concoctionem & nutrimētum, horum caro ſimilis eſt gallinę. Nutrire enim, vt illæ ferè ſimiliter poſſunt.

φάγρος, Pagrus. VI.

PAgrus, difficulter concoquitur, pituitamq; gignit: qui autem inter hos natu maiores ſunt, ad conficiēdum difficiliores ſunt: qua exre, ſatius eſt eos aſſumere, qui ætate & magnitudine minores ſunt, quādo hi quàm maiores concoctu faciliores.

Φιλομήλη, Palamis. VII.

PAlamis inter piſces duræ carnis, & difficilis concoctionis, difficilisq; confectionis enumeratur. Carnem enim excrementitiam habet: quæ ſi cõcoquatur, ſatis ſuperq; nutrit. Hoſpitalitatis proprietatem hunc piſcem habere, ſcribit Proclus: qui Chaldęorum ænigmaticam & obſcuram philoſophiam eſt interpretatus: quod an verum ſit, parum mihi compertum, ideoq; prętermittitur.

Φυκᾶς, Zithos. VIII.

QVi phucas dicitur, ſimplex quidem præparatus, frigidus eſt, compoſitus, ſiccus eſt, & calidus, ac quidem Antiqui omnes ferè exiſtimabant, mali eſſe ſucci, & neruis noxium, capitisq; dolorem efficere, & aduerſus ſacrum morbum vtilem eſſe, ex vinoq; conceptam crapulã ac ſanguinis acrimoniam, ſedare. Sed enim ſatius eſt, huius vſu abſtinere, quòd facilè corrumpitur qui ex eo fit ſuccus, & neruis nocumentum affert:

fertur

fertur etiam quòd eburin eo ad tempus immersum, maceratur, molescitq; vt cera. Recentiorum verò quidam priscorum rationes redarguunt, aiuntq; hunc in multis esse vtilem, incolumitatem sanitatemq; efficere: & re vera quidem prodest his qui calidiore sunt temperamento & in primis ventriculo: immodicè verò calidos, & ob sitim ardore correptos adiuuat, magis quàm quãdo simplex fuerit. Sedat enim sitim, & appetentiam suscitat, & ventrem cit, est & quando lotium: ijs autem qui sto macho humido sunt, & qui frigidiores temperaturas habent, valde nocet.

Φ elementi Finis.

χοῖρος, Porcus. 1.

POrcina caro, boni succi est, & difficilis concoctionis: cum porcus anniculus est propter similitudinem, quã cum humano corpore habet. Quidam enim famis necessitate carnes humanas gustauere, quas suillæ similes gustu esse prodiderunt. Alit verò magis

omnibus alijs cibarijs: quærunt autem nonnulli, quonam pacto ſuilla magis alat, & præ alijs temperata ſit, cum hoc ſemper animal & ſtercore & cœno volutetur, & nutriatur: quam dubitationem quidam ſoluentes, aiunt, quòd niſi valde temperatum foret ſuis corpus, nunquam malum nutrimentum in bonam carnem conuerteret: quemadmodum enim in hominibus, qui corpore bene temperato ſunt, & ſano, rebusmali ſucci, & alimentis non multum læduntur, & ſi fortaſſe temporis progreſſu, & ipſi lædantur, quòd natura, quæ praui ſucci ſunt, alimenta in bonum ſuccum conuertat, ſic & in brutis animalibus accidit. Qui ergo humidi ſunt ventriculi, ſuillam non bene concoquunt, ſed obſtructiones faciunt, excrementitiámque humiditatem glutinoſúmque ſuccum gignunt. At ſi probè concoquantur, bonum, & boni ſucci alimentum facit: præſertim ſi porcus caricis alatur. Apprime enim ſuauis & boni ſucci is eſt, quemadmodum dicunt. Huius verò pulmo ſi cataplaſmatis modo

do ſuper vlcera è calceamentis ex attritu confecta imponatur mirificè prodeſt. Eiuſdem quoq; iecur cum vino deſumptum, venenatorum morſibus medetur. Huius etiam talus combuſtus, diſcutit, quæ in ventriculo fiunt, ventoſitates, ſoluit & capitis dolores. Sed & eius pedes vtiles ſunt, bonicq; ſucci, bene etenim concoquuntur: quapropter ex morbo conualeſcẽtibus, idonei ſunt. Feletiānũ ſuis arefactum ſanguinis fluxionibus medetur. Adeps verò cum aqua & cumino ſubacta, podagricis opitulatur. Eſt etiam proditũ os eius quartana affectis appenſum, eos melius habere. Porculi verò nuper nati, qui lactẽtes pulli vulgo dicũtur, humidi ſunt, & excrementitij, nec adeò boni ſucci: qua ex re haud bonum eſt, eis vti, quemadmodum nec vetuſtis ſuibus, quippe quibus, vt dixi, malus inſit ſuccus. Aprorum verò caro melior eſt quàm ſuum domeſticorum, quòd adeò excrementitia non ſit, nec ſuccum gluti noſũ gignat: horũ verò pulli ſcillicet maximè cũ difficultate cõcoquuntur, atq;

ideo ab his abstinendum.

χῆνες, Anseres. II

ANserum caro, excrementitia est, difficilisq; concoctionis. domesti carumq; cunctarum auium crassioris substantiæ, & calidioris & humidioris est. Qua de re eam Antiqui eodem ordine posuerunt, quo struthiocamelorum carnes, sed eorum alæ diuersæ sunt, à reliquo corpore. Horum quidem adeps dolitantibus auribus instillatus, dolorem lenit, & simul labris scissis prodest: testes anserum si comedantur, dicũtur multum ad sobolem creandam facere: lingua verò quadam eius peculiari proprietate, ad vrinæ stillicidium facit.

χρυσολάχανον, Atriplex. III.

ATriplex, frigidus est prima distantia, humidus verò secunda. Ventrem quidem prouocat, ictericisque ex iecoris obstructione prodest: & calida temperatura præditis, flauaq; bile redundãtibus admodum vtilis est cum

cum malua verò inflammationibus em plastri modo impositus, has sedat.

χιών, Nix. IIII.

NIx quidem eos qui ætate proces-sere, statim vt assumpta est, lædit, iuuenes verò non sic statim, sed procedente tempore, eo videlicet cum iam excesserint vigentem ætatem, maximam indicant pernitiem damnumq; illis enim haud cum ratione fit concoctio, articularesq; morbos, & neruorũ dolores, ita vt nullum amplius facit, & intestinorum nocumentum, frigidosq; morbos parit, atq; his in primis, quibus nõ satis calida est temperatura: Tãgit autem magis niuis nocumentum eas particulas, quæ suapte natura imbecilliores sunt. Minor verò est niuis pernicies, si post ipsam calida aqua sumatur. Sunt verò qui dubitant, quonam modo sitim ipsa faciat, cum frigida sit: quibus respondemus, quod propter niuiam eius frigiditatem dẽsos facit, qui intus sunt meatus immanifesti, atque ideo vapores prohibet, vt resoluantur

diſcutiantúrue, clauſiq; æſtuant, & incaleſcunt, aclitim faciunt. Permulti igitur in diutinos morbos incidunt, ob ipſius frequentiorem vſum, in malos etiam coporis habitus, & morbos comitiales, aliasq; ægritudines, non modò verò ipſa nix efficit, verùm ea etiam glacies deterior eſt, eo quòd terreſtrior.

X elementi Finis.

Ψωμίον, Panis. I.

ALimentum, quod ex pane fit, qua dupliciter differt: primò quantum ad eius materiam, deinde ab ipſius confectione, tum ab igne quo coquitur, demum ab eius vſu. Melior verò panis is eſt, qui ex dēſiore fit tritico, quòd ſolidam habet ſubſtantiam, ita vt vix dentibus confringi queat, & poſt confractionem rarum & laxum apparet. Non oportet verò tritici, contentum eſſe colore, ſed & diuidere & infringere. Panes ergo ſordidi & cibarij vocati, parui nutrimenti ſunt, citoq; ſubeunt propter eam quam habent furfures abſtergendi

ſtergendi vim, irritatis videlicet ad excretionē inteſtinis. Qui autem exactè puri ſunt, tardi ſunt tranſitus. At inter puriſsimos & ſordiſsimos non parua eſt latitudo, in eos ſcilicet, quod magis & minus eſt: quanto igitur purior erit panis, tanto vtiliorem melioremq; gignit ſanguinem, & magis etiam nutrit: ac inter puros quidem primus eſt, ſiligineus, tum ſimilagineus, poſtremò verò eſt ſordidus: ceterùm ad concoquendum panis is optimus eſt, qui probè fermentatus eſt, & ſubactus, & qui in clibano moderato igne fuerit aſſatus: nam ignis ardentior primò ſtatim occurſu ſuperficiem externam in teſtæ modum indurat, accidit q; duplici nomine prauum panem fieri, vt potè, qui partem quidem internam, crudam illa boratamq; habeat, externā verò, ſuper aſſatam & ſiccam. Cum autem moderato minor ignis fuerit, non planè panem conficit, ſed crudiorem relinquit præſertimq; partem interiorem: panes ergo, qui modico & temperato igne longiuſculo tēpore omni planè expar-

te assati fuerint, ij etiam in ventriculo probè concoquuntur, & ad ceteras natura functiones effectusq; optimè habiles fiunt. Optimè igitur clibanitæ panes, iuxta iam dictum modum, & confecti & assati, ab his sunt furno excocti, eandem quidem habentes præparationem, sed quoniam in profundo non adeò bene, vt clibanitæ assantur, ideo ijs deteriores. Calidi ergo panes tardius meatus transeunt, & multum nutriunt, facilitérq; concoquuntur: qui verò frigefacti fuerint, nec facilè concoquuntur, nec vtiles sunt. Atqui & qui post multos dies eduntur, minimè laudantur. Fuêre & inter medicos aliqui qui panes similaginei vsum ijs prohibeant, qui iecoris ac lienis obstructionibus facilè capiuntur, quiq; calculo & articulari morbo laborãt, idq; ob eum quem habet similago lentorem, & bene quidem faciunt.

Υιτίον, Passer pisces. II.

PASSER, meliorem succum habet quàm ceteri pisces, & melius etiam concoquitur, & propterea huius vsus

vſus hiſce conceditur, qui è morbo con ualeſcunt, & imbecilliori indigent nutrimento.

Ψ elementi Finis.

Ὠά, Oua. I.

OVa inter ſe differunt, tres verò habent differentias, primam quidem, quæ iuxta propriam eorum eſt ſubſtantiam, alteram verò quæ eſt ſecundum tempus, an recentia ſcilicet aut vetera: nam recentia meliora ſunt, optimaq; eorum operatio. Tertia eorum differentia eſt in ratione modóque coquendi, quippe alia ſorbilia parantur, atq; ad modicam conſiſtentiam coquuntur, tremula vocantur, quæ autẽ magis cocta, elixa: in vniuerſum autem ὠὰ γογγυλικά, dicta ſunt: quę ergo ſorbilia ſunt, facilè ſubeunt, & faucium leniunt aſperitates, ſed minus nutriunt, quæ verò elixa ſunt, difficilius concoquuntur, & tardius permeant, & craſſũ nutrimentum corpori prębent. Eorum etiam ouorum maius eſt vitium, quæ

ſub feruenti cinere aſſantur. Quæ verò in ſartagine cocta ſunt, peſſimũ habent nutrimentum, & dum concoquuntur, ſaporem nidoroſum faciunt, craſſumq; gignunt ſuccum & excrementitium, ac malum. Laudantur quidem ſuffocata, vti etiam in calida aqua decocta paratáq;: quæ autem anſerum ſunt oua, malum ſuccum habent. Dicuntur oua proprietate quadam bonam ingenij ſolertiam efficere ijs, qui cum fluxu filiarum hauri, id eſt cum melle & cum butyro aſsiduè eſitauerint: cum aceto verò oua cocta deſiccant, quæ in ventre ſunt, fluxiones.

Ωτίδες, Auritæ. 11.

AVritarum caro, medium quẽdam locum habet inter anſerum & grum carnes, & propterea quæ de illis traduntur quomodo cognita & inuenta ſunt, expoſui.

FINIS.

EIVSDEM.

EIVSDEM SIMEONIS SE-THI ANTIOCHENI FRAGMENtum, de medicamentis ex animalibus. DOMINI. MONT. VERON. interprete.

De Merope auicula, quam nonnulli Alpiastrium vocant.

MEROPS, animal volatile est, cuius pectus accipitrinum, & venter lactis colorem ostendit. Tergus & vertex ipsius, auri effigiem repręsentant. Genæ, albæ existunt, rostrum prælongum habet. Hoc animal communi vocabulo, Melissologos vocatur. Merops autem dicitur: quoniam cum homine statim amicitiam contrahit: quam obrem aliqui Gangrenam vocant. Hoc animal cum parere debet, loca permutat, ne ipsius nidus facilè deprehendatur. Huius fel cum melle & succo vuæ illitum, oculorum suffusionē sanat. Stercus etiam cum vino illitum, cardiacis admodum prodest affectibus. Cor

verò tritum, & bibitum cordiacis, ictericis & stomachicis quàm maximè prodest, comestum autem vel tritum bibitum, amorem parit, conciliatq́.

De Passere Trogleta.

Τρωγλήτης siue Trogleta animal, volatile est animal omnibus notũ. Eius stercus cũ vino bibitũ intensionẽ facit: cũ adipe autem anserino tritum illitumq́ alopecias ad pilum reducit. Adeps verò ipsius cum adianto partibus ambustis bis indie impositus, mirificè confert.

FINIS.

INDEX IN SIMEONEM
Sethi copioſus

Acetum apud veteres 82
Aceti virtutes 82.84
Aceto qui abſtinere debent 83
Acini vuarum 103
Allium & eius facultas 112
Allium contra venena ibid.
Allium agreſtium theriaca ibid.
Allium quibus conueniat & quos lædat ibid.
Allij calorem, hominis ſimilem eſſe 113
Allij ingentes virtutes ibid.
Allij peculiaris proprietas 112
Aloe quomodo fiat & eius facultas 77
Anſerum adeps, caro, lingua, alæ 136
Apium agreſte 108
Apium quos lædat ib.
Apium & eius facultas & virtus 107
Apij ſemen, ſuccus 108
Aprorum pulli mali 135
Aprorum carnes ibid.
Aqua lacuſtris 122
Aquæ ex niue peſsimæ 123
Aquæ fluuiales 122
Aquæ fontanæ ibid.
Aquæ puteales ibid.
Aquæ fugiendæ ibid.
Aquarum ſpecies 121
Aquarum optima pluuialis. 121

Attagenæ 85
Atriplex & eius facultas 136
Auena & eius virtutes 21
Auellanæ & earum facultas 63
Auritarum caro 142

B

Balſami arbaſtum 19
Balſami oleum vnde cognoſcatur, legittimum quibus profit 20
Balſami oleum quomodo colligebatur 19
Baſilica & eius virtutes 21
Bericocca frigida & humida, facilè corrumpi, cui proſint, quibus noceant, febriculoſa ante cibum ſumenda 18
Beta ex contrarijs facultatibus conſtat 109
Betæ facultas & virtus, ſuccus, radix 109
Betæ medicamentum ib.
Braſsica & eius facultas 49
Braſsica melancholica ib.
Braſsica æſtiua & hyberna ib.
Braſsicæ flos 50
Braſsicæ malitia quomodo mitigetur ib.
Braſsicarum ſuccus 49
Bubalinæ carnis ius 17
Bugloſſa & eius virtutes 22
Butyrum temperatè calidum, quibus profit 17
Butyrum oleo magis nutrire, quæ ſanet, nauſeam facere, quibus noxium 18

C

Cæpe & earum facultas 54
cæparum vtilitates, incommoda 54

Canabis folia 47
canabis semen esum desipere facit 46
cancrorum oleum, cortices 92
caphura & eius facultas, arbor ubi nascatur, & eius vsus 59
caphura legittima ib.
caphuram factitiam quis nouerit 60
cappari s & eius facultas quibus prosit 53
caprearum carnes, & quibus prosint 26
caro bubula difficulter concoqui, distribui, abundè nutrire, sanguinem melancholicum gignit 17
caro bubalina quibus rebus corrigatur ib.
caricæ 102
caricæ renes purgant 43
caricæ quibus obsint ib.
caricæ & earum facultas 42
caricarũ cibus cum nucibus & amygdalis probus ib.
cariophyllon & eius facultas & virtus 56
caseus fugiendus 115
caseus vetustissimus, pessimus 116
caseus inueteratus noxius 115
caseus minus malus 116
caseus recens ib.
caseum calculos generare 115
casei omnes mali ib.
castanea & earum facultas, & virtutes, & uitia 49
cephalus piscis & eius examen 60

ceraſa & illorum facultas 46
ceraſum gummi ib.
ceratia. 76
ceruorum natura mirabilis, carnes euitandæ æſtate, & cur 29
ceruorum carnes, corpus tremulum & infirmũ facere, medulla & pinguedo, cornu, ſanguis & genitale ad quid valeant 30
cicerum aqua & ius 32
cicera Arietina 32
cicera rubra ad quæ valeant 31.32
cicera nigra & eorum virtutes ibid.
cinnamomum & eius facultas 54
cinnamomum optimum 55
cinnamomi ſpecies ſeptem ibid.
cinnamomi virtus ibid.
cinara & eorum virtus 51
citrorum cortex, caro, ſemen 51. 52
codia 71
colymbades 33
columbarum pulli quando boni 91
columbarum caro ibid.
Conſtans Romanus medicus 92
coriandrum & eius facultas atque virtus 58
coriandri ſuccum, venenum ibid.
crocus & eius facultas atque virtus ibid.
croci exhagia tria quid faciant 59
cucurbita & eius facultas & quibus proſit, vel obſit 48
cucumeres 88

culinæ olim cur allijs repletæ 12
cuminum & eius facultas atq; uirtus 56
cuminum Æthiopicum & eius virtus ib.
cydoniatum 46
cydonia mala & illorum facultas, & quibus, & quando prosint 46.47
cynanchæ puerorum 44
D (27
Damascena & eorum examen, virtutes & vitia
Damascenarũ ius ardentes febres lenit 28
Damascenarũ arborũ succus ad quid valeat ib.
Daucia crurum doloribus prodesse 29
Daucia & eorum examen virtutes & vitia 28
Daucum el quibus prosit 29
Democriti sententia de myrto 75
E
Edisena 36
F
Fabæ & earum facultas 126
Fabæ recentes, flatuosæ ibid.
Fabæ quibus opitulentur 128
Fabarum incõmoda, decoctum 127. farina 126
Fici & eorum facultas 101
Ficorum commoda 102
Fœniculum & eius facultas 70
Fœniculum agreste 71
G
Galenus à fructibus abstinuit 102
Gallinarum caro 84
Gari examen & virtutes 25
Genistæ semen 103

Genistæ flos 102
Git. siue Melanthion & eius virtus 68
Gobius piscis 60
Gobij piscis ius 61
Grues peregrinę 23
Gruum fel aurium surditati prodesse 22
Gruum fel & medulla memoriæ & oculis prodesse ib.
Gruum carnes, ius ib.
Gruum pinguedo lieni conferre 23

H

Humor noxius ex pepone 86
Hœdorum carnes quæ optimæ 30
Hœdorum pulmonem ad ebrietatem valere 31
Hydrosatum 121
Hydrozulapion 37
Hysca piscis porco similis 129

I

Indorum de radicula sententia 100
Insomnia mala & bona 68
Insomnia turbulenta ex fabis 128. 130
Intybum & eius facultas & virtutes 43
Intybi decoctum 44
Iuiubæ quæ meliores & earum decoctum 35

L

Lac optimum & deterius 24
Lac trium substantiarũ, quod melius, noxiũ 23
quibus prosit & quibus obsit 24
Ladani facultas 64
Lactucæ & earum facultas atque virtus 65
Lactucæ semen 66

Lactucæ quibus conueniant ib.
Lactucarum ſuccus venenum 67
Lactucas quis vitare debet 66
Lens & eius facultas, 128 quibus profit 129
Lens venerem extinguit ib.
Lens probè cocta 130
Lentis decoctum quibus profit 129
Lenticulæ paruæ 130
Leporis pudendum 62 cerebrũ 63 coagulũ 62
Leporum carnes quibus proſint & obſint ib.
Lilium odoratum 60
Locuſtæ marinæ 61
Lupus piſcis 64

M

Mala & eorum facultas 64
Mala acida 64 dulcia 65
Mala punica contra Venerem 97
Mala punica dulcia & acida 96
Mala punica & eorum differentiæ ib.
Mala quibus noceant 65
Malorum punicorum grana, ſuccus 96
Malua & eius facultas 67
Maluæ peculiare ib.
Maluæ ſuccus & decoctum ib.
Marulia 65
Maſtiche 75
Medicamentum ex ruta 93
Medicorum error de ſaccharo 107
Medicorum recentiorum opinio de fabis 127

Mel optimum 73
Mel ſenibus prodeſt ib.
Mellis virtutes ib.
Melangina 74
Meliſſa & eius facultas atque virtus 68
Meliſſam hominem prudentem reddere ibi
Mentha & eius virtus 57
Merops auis 143
Meſpila 71
Milium & eius facultas 89
Moſchus vbi generetur 69
Moſchus legitimus 70 ſubflauus 69
Moſchi diuerſæ ſpecies ib.
Moſchi facultas & virtus 69.70
Myrti foliorum ſuccus 75
Myrti baccæ quibus proſint 74
Myrti & malo granatorum ſympathia 75

N

Naſturtium & eius facultas 52
Nix ſitim facit 137
Niuis vſus malus 138
Niuis pernicies 137
Nux odorata & eius facultas & virtus 56
Nuces cum caricis ſi quis edat 47
Nuces & earum facultas ib.
Nuces Ponticæ 63
Nuces aridæ, quibus conueniant 47

O

Ocima calida modicè quibus proſint eorum ſemen 21
Oculorum acies ex ruta acuitur 94

Oleum vetuſtum vt cognoſcatur 34
Oleum violaceum ad quid vtile 45
Oleum ex piſtachijs 89
Olei fæx 34
Olei piſtacinij confectio ib.
Olei amygdalini confectio ib.
Oleæ vbi proueniant 33
Oleo pulices interire ib.
Oliuæ maturæ & immaturæ ib.
Opium quid ſit 72
Oua ſuffocata 142
Oua in ſartagine cocta, peſsima ib.
Oua tres habent differentias 141
Ouorum vitia ibi.
Ouorum proprietas 142
Ouilla caro 90
Oryza & eius facultas 78

P

Pagrus 131
Paguri fluuiatiles 92
Paguri ſeu cancri ib.
Palamis piſcis hoſpitalis 132
Palmulæ & earũ facultas quibus noceant 124
Palmarum differentiæ 125 ſuccus 124
Palmulis qui abſtinere debeant 125
Panis alimentum 138
Panis melior qui ib.
Panis optimus, ſiligineus 139
Panis tria genera. 139
Panem citrorum contactu putreſcere 52
Panes calidi, ſimilaginei 140

Papauer 71
Papauer album 71
Papauer nigrum 72
Papaueris uirtus 71
Paſſer Trogleta 144
Paſſer piſcis 140
Pauonis oſſa,vis,adeps 117
Pauonum caro ib.
Pepon Saracenicus 88
Pepon facilis alterationis 86
Peponis quæ pars pituitoſis cõueniat, & quæ bilioſis 87
Pepones primò comedendi 86
Pepones longiores,rotundis meliores 88
Peponum facultas 86
Perdices quibus proſint 90
Perdicum fel,iecur,medulla, caro quando bona 90
Perſica & eorum facultas 97
Perſica neruos lædunt ib.
Perſica & armeniaca 98
Perſica matura ventrem ciunt 97
primis menſis comedenda ib.
Perſicorum foliorum ſuccus, & virtus ib.
Phaſeli albi, 131 rubri, humidi 130
Phaſelorum decoctum 131
Phaſiani ib.
Phaſianorum decoctum ib.
Phucas 132
Pinei nuclei & eorum facultates & virtutes 50
Pineorum yſus ad genitale ſemen 51

Piper & eius virtus 92
Piſces boni & mali ſucci 41
Piſces qui boni ex loco ib.
quibus proſint & obſint 40. 41. 42
Piſces peiores 40
Piſces frigidæ temperaturæ ib.
Piſces parui utiles & probi 41
Piſces cetacei paruis peiores ib.
Piſces marini facilis concoctionis ib.
Piſces paluſtres humidiores ib.
Piſces fluuiatiles facilis diſtributionis 41
Piſces ſaxatiles qui meliores 40 pelagij ibid.
ſaliti & eorum virtutes 42 quando mali ib.
Piſcium bonitatis ſigna 40
Piſcium ſaxatilium ius 42
Piſtachia & eorum facultas 88
Piſtachia quibus medeantur 89
Pituitoſus humor ex perſicis 97
Pituitoſis quod vnum conueniat 79
Porci pulmo, 134 iecur, pedes, talus 135
Porcinum adeps, os, fel ib.
Porcina caro 133
Porcus marinus & eius caro 110
Porri facultas, incommoda & virtutes 89
Potio ex lente 128
Prægnans quæ cydonus vtatur quid pariat. 46
Proclus, Chaldæorum ænigmate interpres 132
Piſana & eorum facultas & virtus 111
Pulegium & eius virtutes 26
Pulli gallinacei 85

Pythagorici cur à fabis abſtinuerint 128

R

Radicula & eius facultas 98.99
Radicula diuretica 99
Radicula facilis corruptionis ib.
Radicula quando comedenda 98. 99
Radicularum ſuccus 100
Radices quibus proſint ib.
Radicum folia, ſuccus ib.
Raphanus, ſiue radicula 98
Rapæ & earum virtutes & ſemen 25
Remedia ex ruta 93. 94
Roſa 101
Ruta ſylueſtris 93
Ruta prægnantibus inimica 95
Rutæ domeſticæ virtus 93
Rutæ ſylueſtris facultas ib.
Ruta qui abſtinere debeant 94
Saccharum violaceum ad quid proſit 45
Saccharon vetus 107
Sacchari facultas & virtus ib.
Sanguis bonus valetudinem conſeruat 41
Sanguis qui facilè vertatur in melancholicum humorem 129
Sanguis ex piſcibus generatur bonus 40
Satureia & eius facultas 38
Satureiæ virtutes 39
Sepia 110
Sepiæ ſecretum ib.
Sinapi & eius facultas & virtus 114
Spelta & eius virtus 35

Squillæ marinæ quibus prosint
Stæchas & eius facultas 103

T

Tarchon quid 118
Tarchon & eius facultas 117
Tarchon antipharmacum ib.
Tetrangura & eorum facultas 118
Tetranguris qui vtuntur ib.
Tetrangurorum proprietates ib.
Tetrangurorum semen ib.
Thridacinæ 65
Thuris suffumigatio quid prosit 64
Thymbra & eius facultas 38
Tubera 118
Tuberorum vsus malus 119
Tynni 99
Tinnorum sanguis ad quid valeat 39

V

Verbenacæ rectæ virtus 95
Verbenacæ decoctum ib.
Violæ & earum facultas 44
Violæ ad quid valeant & quibus obsint ib.
Violarum decoctum ib.
Vinum Solis Ægyptiorum 106
Vinum nouum 78. Vetustum 79
Vetustius, calidius est 18
Vinum rubrum nutrit, dulce, crassum, austerum, giluum, album, tenue 79
Vinum & veritas, prouerbium 81
Vinum ad pepones 86
Vinum cur exhilaret & liberales reddat 81

Vjuum vetus quibus profit 80
Vini virtutes 79
Vini noui malitiæ 80
Vini peculiaris proprietas ibi.
Vini actio vbi aſpiciatur ibid.
Vino qui abſtinere debeãt ib.
Vuæ ante cibum comedendæ 105
Vuæ albæ 104
Vuæ maturæ nutriunt 105
Vuæ boni ſucci, ſed crudi ib.
Vuæ ex quatuor conſtare 104
Vuæ penſiles ib.
Vuæ paſſæ facultas, medicamentum 106
Vuæ paſſæ nutriunt plus cæteris 105
Vuarum bonum iuxta Galenum 103
Vuarum vſus 194
Vuarum differentiæ ib.

X

Xiphias, ſiue gladiolus 76
Xilaloe quid ib.
Xilaloe differentiæ 77

Z

Zambaceleon, & oleum ieſminum idem 21
Zingiber & eius facultas 36
Zulapion & eius facultas ib.
Zulapium violaceum 45
Zulapium ex Meliſſa 69

FINIS.

Arma Magnifici D. Domini Spitkonis Iordan De Zaklyczin & in Melſtin hæredi, Palatini Sandomirienſis, Senatoris Regni Poloniæ, Premiſlienſis & Kamonacenſis Capitanei.